A prolapsum sub onere asellum cauda sublevarat. *Pontanus de Beneficentia, c. 6.*

In societatem venire calamitatis.

Athenienses à Minoe victi, tributum pendebant novem annis septenos impuberes, totidemque virgines. Ubi ergo tempus tertii tributi adfuit, & vocandi in sortem erant patres, qui impuberes liberos habebant: recruduerunt querelæ in Ægea regem civium lugentium, atque indignantium omnium illum auctorem in societatem unum non venire pœnarum: sed qui regnum in nothum transtulisset & hospitem filium Thesea, ipsos nihil laboret in justorum solitudine liberorum & orbitate relinqui. Angebant hæc Thesea, qui ut æquum bonum agnosceret, & in consortium veniret fortunæ publicæ, semetipsum obtulit, extra sortem se adjungens. Ac cæteri quidem spiritus ejus obstupuerunt, & commendaverunt civilitatem. Ægeus verò cùm precibus & obsecrationibus agens immotum videret & inflexibilem, alios pueros sorte duxit. Hellanicus refert, non sorte ductos pueros puellasque civitatem misisse, sed Minoa delegisse præsentem, ac Thesea omnium B cepisse primum præfinita lege. Præfinitum autem fuisse, ut navem præberent Athenienses, & impositi impuberes, nulla secum ferentes arma bellica, cum illo navigarent, sublatoque Minotauro finem fore pœnæ. Nam antè nulla spes fuberat salutis. Hinc navem cum atro velo ut in certam perniciem mittebat. *Plut. in Theseo.*

Condolere benignè.

☞ *Vide Titulum, Hostes humani.*

Congaudere, Congratulari familiariter.

☞ *Ex loco Affectuum, item Amicorum officiorum.*

Honorem exhibere, Venerari populariter.

Antonius Abbas Episcopis, & Presbyteris solitus erat submittere cervicem, captans ab eis benedictionem. Idcircò benedixit ei Dominus, & custodivit illum; ostendit ei faciem suam, & misertus est ipsius: convertit vultum suum ad illum, & dedit ei pacem. *Marul. l. 1. c. 5.*

Alcinous Phæacum rex, ut juxta se hospitem Ulyssem locaret:

Excivit natum generosum Laomedonem,
Claudebat patris latus hic.

C Quippe quòd in filii sedem collocarit hospitem supplicem id admodùm est civiliter & comiter factum. *Plut. in l. 1. quæst. convival. 2.*

Cajus Graccbus Tribunus cùm legem Agrariam rogaret, cùm in alia dicitur magnoperè incubuisse, tum ubi superiores concionatores respicere ad curiam assueverant, & ad comitium, primus tunc foras versus ad forum fuisse concionatus; atque id deinceps secutus, brevique declinatione & circumactu corpotis magnam rem movisse, ac Rempubl. quasi ab optimatibus ad arbitrium transtulisse populi: tanquam plebem spectare concionatores, non senatum deberent. *Plut. in Cajo.*

Tiberius Cæsar senatoribus assurgere, & iis de via decedere non erubescebat. *Svet.*

Claudius Cæsar spectacula edentes, surgens & ipse cum cætera turba, voce ac manu veneratus est. Tribus plebis adeuntibus se pro tribunali excusavit, quòd propter angustias non posset audire eos nisi stantes. *Svet.*

Trajanus Imp. stans, consules sedentes venerabatur, quòd se illis inferiorem ex legibus esse sciret.

D Idem quoscunque consulturus esset, eos ipsemet adibat. *Volat. l. 23. Antrop.*

Senatui tantum detulit M. Antoninus Pius Imperator, quantum cùm privatus esset, deferri sibi ab alio principe optavit. *Capitolinus.*

Theodericus Ostrogothorum rex in Italia, auro argentoque nullum signum aliud, quàm stante Repub. consueverat, imprimi passus est. *Cranz. l. 3. c. 13. Sveciæ.*

Permittere, Concedere aliquid,
Non vetare.

Psammetychus, primus Ægyptiorum regum cæteras nationes ad importanda, quæ apud se erant, allexit, securitate singulis adeuntibus promissa. *Diod. l. 1. c. 5.*

Epidamnii potestatem omnibus in suam urbem migrandi peregrinandique libenter faciebant. *Ælianus libro 13. de Var. hist.*

Ludi gladiatorii populo in foro exhibendi erant: & plerique eorum, qui magistratibus fungebantur, cuneos in orbem ad spectandum instruxerant, quos locabant. Eos C. Gracchus Tribunus pl. 11. imperavit illis, ut tollerent, quò inopes ex cavea spectare gratis valerent. Nemine ei auscultante, præstolatus noctem, cui spectaculum illucescebat, evertit per opifices, quos habebat penes se conductos, cuneos illos, populoque postridiè locum vacuum exhibuit. Quo facto apud multitudinem magni vir animi habitus est, verùm collegas offendit ut ferox & violentus. Hinc etiam tertio tribunatu lapsum apparet: non quia plurima tulerit suffragia, sed quòd improbè & fraudulenter renunciaverint designatos collegæ ejus. *Plut. in Cajo.* E

Cùm Marcus mortuum educatorem suum fleret, revocaretur ab aulicis ministris ab ostentatione pietatis, M. Antoninus Pius Imper. dixit: Permittite, inquit, illi, ut homo sit, neque enim vel philosophia, vel imperium tollit affectus. *Capitol.*

In conjuratione contra Julianum & Laurentium Mediceos inita, fuit etiam Joan. Bapt. Monteficcus, Xysti IV. Pp. copiarum ductor. In templo D. Reparatæ inter sacra Julianum Fr. Pactius & Bern. Bandinus interficiunt: Laurentium verò Monteficcus leviter vulneratum elabi passus est. Siquidem Laurentius paulò ante Monteficci animum perhumano liberalique sermone molliverat, adeòque benignè industriam ac opes ei fuerat pollicitus, si quædam in Apennino castella, quæ Monteficcorum fuissent, redimere vellet, ut ille commutata voluntate mirum in modum ei devinctus abierit. Retractus inde è fuga Monteficcus, solus ex omnibus conjuratis mitiorem supplicii pœnam sepulturamque promeruit, quòd hominem divina virtute præditum ad aras se percussurum omninò pernegasset. *Iov. in Leone X.* F

Imperii majestatem submittere, deponere familiariter.

Theopompus Spartanorum rex, cùm primus institutisset, Ephori Lacedæmone crearentur, ita futuri regiæ potestati oppositi, quemadmodum Romæ consulari imperio tribuni plebis sunt objecti: atque illi uxor dixisset: Eum filiis minorem potestatem relicturum: Relinquam(inquit)sed diuturniorem. *Val. Max. l. 4. c. 1.*

Timoleon Corinthius, victo Dionysio tyranno, cùm tantis esset opibus, ut etiam multis imperare posset, tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret: maluit se diligi, quàm metui. Itaque cùm primùm potuit, imperium deposuit, & privatim Syracusis, quod G reliquum vitæ fuit, vixit. Neque verò id imperitè fecit: Nam quod cæteri Reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit. Nullus honos huic defuit, neque posteà Syracusis res ulla gesta est publica, de qua priùs fit decretum, quàm Timoleontis sententia cognita. Nullius unquam consilium non modò antelatum, sed ne comparatum quidem est: neque id magis benevolentia factum est, quàm prudentia. *Probus in ejus vita.*

Agathocles Syracusiorum tyrannus, Carthaginensibus terra marique debellatis, diis sacrificavit, amicosque opiparis conviviis excepit, depositoque in comessationibus regio ornatu, cujusvis privati hominis tenuitatem præ se ferebat, stipatusque à populo, solus in conciones ibat. *Diod. l. 20.*

Cæsares Romanorum, ne in crimen invidiamque incederent, Imperatoris nomen, tanquam titulum mitem & honestiorem, abrogato regis vocabulo, desumpsere. *Alex. lib. 1. cap. 2.*

P. Val. Poplicola, ut consulatum pro terrifico placidum & gratum redderet populo, fascibus detraxit secures. Ipsas etiam ad concionem accedens depressit fasces, & populo submisit, speciem majestatis addens principatui populari: Idque consules H postea observarunt. At non animadvertit multitudo, non facere illum se, ut arbitrabatur, submissionem, sed invidiam ea moderatione depellere & imminuere: atque in tantùm suas amplificare opes, quantum detrahere videbatur de licentia; coluitque libens eum populus, & tulit volens, ut etiam Poplicolam appellaverit. *Plut. in Val.* Hunc morem multis custoditum annis, ac ad tempora sua servatum, Dionysius scribit: ut quum extra urbem essent consules, uterentur securibus, intùs verò fascibus modò ornarentur. Quod Maximus quoque Valerius intelligi voluit, invidiosum scribens magistratus fastigium ad tolerabilem habitum esse deductum, dum fasces securibus vacuefecit. Porrò T. Livius refert, Poplicolam, quum prodiisset in concionem, fasces summississe populo: quod ipsum *lib. 3. Instit. Quintilianus* repetit. Ex quo elegans proteptè adagium, ut cùm manum damus, & herbam quodammodo porriginus, vincique nos planè fatemur: Summittere fasces, dicamur, astipulante M. Tullii testimonio. Fasces autem summittere, interpretor, non surrectos tenere, ut solebant priùs lictores, ut visen-

A visendos eos præberent, ostentarentque ad terrorem increscentis audaciæ: sed deprimere, & antè pedes quodammodò dejicere. *Cælius l. 12. c. 7. A. L.*

Augustus Cæsar, quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solito: ferebat & ipse suffragium in tribu, ut unus è populo. *Svet.*

Tiberius nunquam curiam nisi solus intravit: lectica quondam introlatus æger, comites à se removit. *Svet.*

Trajanus Imp. per urbem semper, more Catonis, pedes ibat, paucis comitibus, nullis satellitibus. *Volater. libro 25. Anth.*

Humiliare sese.

☞ *Humilitas inter Affectus commemorata fuit suo loco. Eadem, si Honorem spectes, ad honoris contemptum referenda erit, si Veritatem, ad* φιλαλήθειαν: *si Humanitatem, cui juncta est, qua sibi alios devincire studet, præsentis erit loci.*

Honores respuere familiariter.

B ☞ *Ex moderatione honorum huc multa, illic Honoris contemptus, hic Humilitas, qua sese aliis commendat, perpenditur.*

Augustus Cæsar nepotibus suis prætextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro, & à stantibus plausum, gravissimè questus est. *Svet.*

Idem Domini appellationem edicto respuit. *Svet.*

Tiberius à principio nullum honorem, qui humanitatis transcenderet fastigium, sibi decerni passus est. Civicam coronam in vestibulo domus recusavit. Quum quidam eum Dominum appellasset, vetuit se ampliùs contumeliæ causa nominari. Nullum templum dedicatum est, ac nemini licebat ei statuam facere. Neque licebat, per fortunam ejus jurare: neque animadvertebat in eos, qui per eandem fortunam pejerassent. *Dion. Niceus.*

Claudius Cæsar in semet augendo parcus atque civilis, prænomine Imperatoris abstinuit, nimios honores recusavit, sponsalia filiæ, natalemque geniri nepotis, silentio ac tantùm domestica religione transegit. *Svet.*

Trajanus subjugatis Marcomannis, ac Jazygum & Pannoniæ populis, minimè triumphans, sed equo tantùm insidens C in Capitolium vectus est. *Volat. l. 23. Anthrop.*

Alexander Severus Imp. Dominum se appellari vetuit. *Cuspin.*

Cum aliorum petulantia, importunitate, non pugnare.

Empiricus quidam morbi cujusdam gravis. curam pollicitus, cùm jam ad secandum pararetur, intervenit alius furens medicus, multa rationum mole ostensurus, hominem secari non oportere. Tum ille: Vos videritis, inquit, mihine in artis operibus diu multùmque versato, an huic in sopistico pulvere strenuo athletæ, plus sit credendum; dictoque citiùs abiit. Necessarii igitur sophista ablegato, priorem experientia clarum revocarunt. *Gall. de Subfigur. empirica c. ult.*

NON FACERE, SED ABSQUE

ACERBITATE. Puta

Non concedere, Denegare modestè.

Theocritus, cùm duo ab eo in balneo strigilem commodato D peterent, quorum erat peregrinus alter, alter nobilis fur: joco utrumque summovit, dicens: Te non novi, te novi. *Plut. in Immodica verecundia.*

Lysimache, Athenis Minervæ sacerdos, cùm muliones, qui sacra portabant, ut infunderet sibi, postularent: Ego verò, inquit, vereor, ne id quoque in morem abeat. *Idem.*

Antigonus rex juveni cuidam ignavo & molli, cujus pater vir probus ordines duxerat, postulanti ut ad ordines proveheretur: Apud me, inquit, adolescens, propriæ sunt, non paternæ virtutis præmia.

Nicostratus cùm magna pecunia ostensa & nuptiis mulieris, quam vellet cunque, Lacænæ, solicitaret eum ad prodendum sibi Cromon Archidamus: negavit, Herculis eum sobolem esse. Illum enim multas oras, ut scelerosos sustolleret, lustrasse, hunc probos facere improbos. *Idem.*

Augustus, cùm ab eo Pacuvius Taurus congiarium peteret, diceretque, jam hoc homines vulgò loqui, non parvam ab illo sibi pecuniam datam: Sed tu, inquit, noli credere. *Macrob. l. 2. c. 4. Saturn.*

Idem alteri cuidam, cùm ab officio remotus esset, similia flagitanti, atque addenti: Non se cupiditate ad id petendum E induci, sed pudoris proprii respectu: & ut sine noxa præfecturam equitum sponte dimisisset, insuper & liberalitate Cæsarea dignus putaretur: sic elusit: Tu te accepisse palàm dicito, ego me dedisse non negabo. *Ibid.*

Porcia M. Bruti amantissima fuit. Cui ad bellum profecturo, quum precibus instaret, ut secum abduceret, idque impensiùs afflagitaret: Brutus eo carmine uxorem est affatus, quo Hector ille Homericus Andromachen:

Te tua pensa decent, lanas calatumque reposce.

Plut. in Bruto.

Quum Galli donassent Augusto torquem aureum centum pondo, ac Dolabella per jocum tentans illum, tandem huc produceret jocum, ut diceret: Imperator, torque me dona; Malo te, inquit, civica donare. Festiviter submovit postulatoris impudentiam, qui nunquam in bello fuisset: eòque magis illi conveniebat civica, quæ ex quernis iligniſque frondibus fieri consueverat, quemadmodum triumphalis ex auro. *Erasm. l. 4. Apoph.*

Leo X. Papa cùm popularitati unicè studeret, si quid fortè negandum esset, tenerrimis excusationibus supplicantis animum præoccupare, speque ultrò injecta novæ liberalitatis, totum imminentis repulsæ dolorem extinguere consueverat. *Iovius in ejus vita.* F

Non blandiri, Non adulari.

Cato minor neque blandis vel gratis plebi moribus præditus fuit, neque floruit in reipubl. obsequiis: sed ait eum Cicero *l. 2. Epist. ad Att.* quasi in republ. Platonis, non in Romuli fæce ageret, consulatus repulsam tulisse. Mihi verò videtur idem illi, quod fructibus accidisse intempestivè provenientibus. Ut enim hos contemplamus libenter miramurque, nec utimur tamen: ita mores antiqui Catonis in civitate corrupta & depravata consuetudine existentes, laudem quidem habuerunt & gloriam grandem: usui tamen propter pondus & fastigium à præsenti abhorrens sæculo virtutis non fuerunt consentanei. *Plut. in prooemio Phocionis.*

Augustus Cæsar, neque post bella civilia, aut in concione, aut per edictum ullos militum Commilitones appellabat, sed Milites. Ac ne à filiis quidem, aut privignis suis imperio prædितis aliter eos appellari passus est: ambitiosius id existimans, quàm aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua G domusque suæ majestas postularet. *Svet.*

INGRATA ALIIS

FACERE, DICEREVE, SED ABSQUE ACERBITATE, Huc pertinet

Reprehensio modesta, Humana.

☞ *Reprehensio alienorum malorum arguta ad Prudentiam, mitis ad Clementiam, libera ad Veritatem, humana ad Popularitatem, jucunda ad Vrbanitatem pertinet. Qui omnes reprehensiones sub unam congerunt myconon, in materia non peccant, sed peccant in forma.*

Εὐτρέπεια est, qui eleganter tangit quempiam, ac lepida voce saleve aliquo refellit; τρύειν enim tangere significat. *Victorius l. 11. Var. lect. c. 3.*

Imperitiæ reprehensio modesta.

Cantor quidam haud inscitè neque illepidè vocem Philippi regis claufit, de pulsandis fidibus, qui secum moliebatur, disceptare, atque: Absit rex, inquit, tantum mali tibi, me ut hæc meliùs scias. *Plut. de Discern. adul.* H

Alexandrum Magnum malè citharam pulsantem, nihilque putantem interesse, quàm chordam tangeret, cautè admodùm (Lini periculo edoctus) Magister admonuit: Nihil quidem interesse regis, sed non eodem modo nihil interesse futuri citharœdi. *Ælianus lib. 3. de Varia hist.* ☞ *Vide prolixiùs suprà, Tit. Popularitatis sectatores, §. Præceptores.*

Cùm Ptolemæus rex paulò contentiosiùs de arte pulsandæ citharæ contenderet: Aliud est, ò rex, inquit Stratonicus citharœdus, plectrum tractare, aliud sceptrum; sicut *Capito Poeta* testatur *l. 4. Comment. ad Philos. Athen. l. 8. c. 7.*

Demosthenes Mitylenæus, cùm studiosi cujuspiam canendi & citharæ fores pulsasset: atque ille audito, jussisset intrare: Si priùs, inquit, citharam ligaveris. *Plut. l. 2. Quæst. convival. 1.*

Aristarchus, Theodestis pater, agmen arridens ingens sophistarum: Olim, ait, sapientes vix septem extitisse, in præsentia verò haud facilè rudes, & imperitos tot inveniri posse. *Plut. de pietate erga fratres.*

Theocritus quendam ineptum poetam recitantèm carmina auscultans, interrogatus ab eo: Quænam ei placerent? respondit:

A pondu: Quæ commisisti: *Antonius Melis. Partic. 1. serm. 50.*

De Quintilii judicio sic scribit *Horatius in Arte.*

Quintilio si quid recitares, Corrige sodes
Hoc ajebat, & hoc. Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum quam vertere malles,
Nullum ultrà verbum, aut operam sumebat inanem.
Quin sine rivali teque & tua solus amares.

Phavorinus philosophus, cùm adolescentem quendam, vetusta, & prisca verba in quotidiano colloquio affectantem, eruditionis specie audivisset, dixit: Moribus antiquorum vivendum: verbis nostrorum loquendum est. *Gell. lib. 1. cap. 10.*

Antonius Julianus rhetor, cùm Neapoli juvenem quendam declamantem, & eloquentiam suam ineptè ostentantem audivisset, rogantibus amicis: Quid ei videretur? (mirabantur enim astantes juvenis illius facundiam) respondit: Adolescens hic sine controversia disertus est. *Gell. l. 9. c. 15.*

Petrarcha libro de Rebus memorandis: Lupatus (inquit) B Patavinus fuit, nuper Poetarum omnium, quos nostra vel patrum nostrorum vidit ætas, facillimè princeps, nisi Juris civilis studium amplexus esset. Is amici subita causa, & moras respuente necessitate, ipso quotidiano ac domestico, quo fortè inventus est, habitu, rogatus in judicium venit. Novus judex egregio viro nec assurrexit, nec aliquo eum honore dignatus est. Cœperat Lupatus amici causam planis verbis ac vulgaribus agere, & illum in singulis dictis obluctantem urbanè admodùm ac suaviter convincere. Indignatus judex, tanquam majus aliquid dicturus, sic interrogavit, Scis literas? At ille Scis paucas, respondit. Risit insulsus judex (idiotam ratus, quòd incongruè respondisset: Scis pro Scio: non arbitratus, id de se dictum, quòd paucas literas sciret) & ad inceptum rediit sermonem, nec antè se delusum sensit, quàm disertissimi viri cognosceret & ratione simul & oratione se fuisse superatum. Nomen autem abeuntis quærens, ab astantibus didicit: Lupatum esse, cujus nomen ea tempestate per totam Italiam celebre erat. *Bern. Scard. l. 2. classe 10. hist. Pat.*

Improbritatis reprehensio modesta.

C Demadem rhetorem conspicatus jam senem Antipater rex: Sicut sacrificio perpetrato ex hostia nihil, ait, ei præter linguam & ventrem superesse. *Plut. de Divit. cupid.*

Demosthenes orator cùm dixisset: Interficiet te populus Atheniensis, Phocion, si insanire cœperit: Respondit ille, Me si insanire cœperit: te, si sapuerit. *Plut. in Apoph.*

Cùm Aristogiton sycophanta, qui in concionibus bellicosus erat, populumque ad arma incenderat, in delectu accederet baculo innixus, & crure obligato: conspicatus procul eum ex suggestu Phocion, exclamavit: Scribe etiam Aristogitonem claudum & improbum.

Demaratus Spartanorum rex, cùm fœdus homo ipsum pungeret importunis interrogationibus, atque hac quæstione identidem obtunderet: Quis optimus esset inter Lacedæmonios? Tui, inquit, dissimillimus. *Plut. in Lycurgo.*

Publicus Mimographus, Mutium in primis malevolum cùm vidisset solito tristiorem: Aut Mutio, inquit, nescio quid incommodi accessit: aut nescio cui aliquid boni. *Macrob. 2. Saturn. cap. 2.*

Stultitiæ.

D Menecrates medicus (qui, quòd in deploratis quibusdam morbis curandis habuisset successum, Jupiter appellabatur) odiosè usurpavit eam appellationem, & verò ad Agesilaum regem ad hunc modum scripsit: Menecrates Jupiter regi Agesilao salutem. Huic rex scripsit: Rex Agesilaus Menecrati sanitatem. *Plut. in Agesilao.*

Pausanias, Cleombroti F. superatis ad Plateas Medis, præcepit suis, ut præparatam cœnam Persicam opponerent. Ea cùm esset mirificè exquisita: Helluonem medius fidius, inquit, esse opportebat Persem, qui, hæc cùm ei supperederent, ossa nostræ inhiavit. *Plut. in Apoph.*

Cùm placere sibi Stoicorum ferret decretum M. Crassus, bonum virum divitem esse: subjecit Cicero: Vide, ne magis quòd contendant, omnia esse sapientis. Infamis erat Crassi avaritia. *Plut. in Cicer.*

Anus quædam, cùm vidisset Jovinianum Imperatoré forma quidem conspicuum, & proceritate atque crassitudine corporis excellentem, sed aliquantulùm mente captum, dixisse fertur: O dii immortales, quàm corpulenta est stultitia? *Nicephorus Callistus l. 50. c. ult. & Svidas.* E

Cosmi Medicus gratia quidem Florentiæ magistratum obtinuerat, eundemque rogabat, qua ratione sese eo munere dignum præstaret. Vestire purpura, respondit, (qui Florentinorum magistratuum mors est) & loquere pauca. *Corrozetus.*

Florentiæ in promulgando consilii decreto, quo Medicei adolescentes, Hippolytus & Alexander, per seditionem anno 1527. ad famam captæ Romæ concitatam, Reipub. hostes declarati sunt, Cosmus Saxetus podagricus, nec insulsus senator, vultu resupino & ferè oscitanti, sublata voce interpellans præconem, interrogavit: An ipse etiam Papa Clemens VIII. eadem qua gentiles ejus, exilii & capitis pœna damnaretur? & id quum altiore voce proboque nutu præconis peraquum esse subderetur: Vos ergo, inquit, videritis cives, qui nihil libera patria carius habere vultis, an vobis, ab hac mox injuria sacris interdictis, familiari pane vestro satis piè vesci liceat. Quod falsè dictum universæ concioni risum commovit: quòd omnes adeò perfrictæ essent frontis, ut inverecundam præconis vocem ineptissimè imitarentur. *Iovius libr. 25. Histor.* F

Puella quædam Gallica, ex iis quæ Margaritam Valesiam comitatæ sunt in Hispaniam, visuram Franciscum Franciæ Regem fratrem suum, Caroli Cæsaris captivum, cùm à juvenibus Hispanis subinde audiret: Amore enecor: Morere jam tandem, inquit, ut amatorem unum aliquem mori videam ex tot moriturientibus. *Lud. Vives de Christ. femina l. 1.*

Timiditatis, Ignaviæ.

Agis Archidami filius, prætergrediens Corinthiorum muros, contemplatusque excelsos, firmos & longè porrectos: Quænam, inquit, hunc locum incolunt feminæ? *Plut. in Apoph.*

Theryclon Delphis veniens, cùm exercitum Philippi fauces Isthmi insedisse contemplaretur: Malos vos, inquit, habet, Corinthii, Peloponnesus janitores. *Plut. in Apoph.*

Pausanias Cleombroti F. ad imbecillum corpore, qui consulebat, ut cum hostibus terra marique confligerent: Vis igitur, inquit, ostendere rete exutus, quis sis, nobis qui dimicare præcipis? *Idem.* G

M. Livium, qui arcem Tarentinam custodiebat, sua opera receptam commemorantem urbem, cùm cæteri deriderent; Q. Fabius Max. ait: Rectè ais: nam nisi urbem tu prodidisses, ego eam non recepissem. *Idem.*

Hannibal Carthaginensis apud regem Antiochum profugus, cùm ei rex in campo copias ingentes ostenderet, quas bellum populo Romano facturus comparaverat, insignibus argenteis & aureis florentes, currus quoque falcatos, & elephantos cum turribus, equitatumque frenis & ephippiis, monilibus ac phaleris præfulgentem: contemplatione tanti, & tam ornati exercitus gloriabundus, Annibalem aspiciens: Et putasne, inquit, satis esse Romanis hæc omnia? Tum Pœnus eludens ignaviam militum ejus: Planè, inquit, satis esse credo Romanis hæc, etsi avarissimi sunt. Rex de numero exercitus sui ac de æstimanda æquiparatione quæsiverat, respondit Annibal de præda. *Macrob. l. 2. Saturn. c. 2.*

Bello Sociali, cùm occasionem hostis dedisset rei benè gerendæ, & pavore correpti pedem retulissent Romani, ut receperunt se utrinque in castra, concione militum advocata: Hæreo, inquit C. Marius, hostes an vos ignaviores dicam: quippè neque terga vestra illi, nec vos illorum aspicere os sustinuistis. *Plut. in Mario.* H

Augustus Cæsar urbanè Dolabellæ ignaviam reprehendit. ☞ *supra. Non concedere.*

Germanis offensis, quòd inter respondendum Matthiam Pannoniæ regem appellasset Pius II. Papa, tanquam ad eos jus regni pertineret: Sinite, ait, Matthiam tantisper nos regem appellemus, dum eum vos regnum tenere permittitis; temeritate simul & ignavia exprobrata: subdidit: Armis regna dijudicari, non legibus. *Campanus in ejus vita.*

Diffidentiæ.

Apparatu belli Actiaci gratificationem magnificam Cleopatræ reginæ M. Antonio timente, nec nisi prægustatos cibos sumente, fertur regina pavore ejus lusisse, extremis coronæ floribus veneno illitis, ipsaque capiti imposita, mox procedente hilaritate invitavit Antonium, ut coronas biberent. Quis ita timeret insidias? Ergo concepta in scyphum incipienti haurire, opposita manu: En ego sum, inquit illa, care Antoni, quam tu nova prægustantium diligentia caves: adeò mihi

A mihi, si possim sine te vivere, occasio aut ratio deest. Inde eductum è custodia bibere jussit, qui illico expiravit. *Plinius lib. 21. c. 3.*

Libidinis reprehensio modesta.

Inverecundum Demosthenes negavit habere in oculis κόρας, sed πόρνας, hoc est, meretrices. Significat enim utrinque κόρη, pupillam oculi, & virginem. *Plut. de Nimia verecundia.*

Contemplatus curru invectum Diogenes Dioxippum Olympionicem, atque à formosa muliere, quæ celebritatem spectabat, retrahere non valentem oculos, sed limis eam intuentem ac respectantem: Videte, inquit, athletam à puella resupinari. *Plut. de Curiositate.*

Cùm aliquando Sophocles, cui cùm Pericle navigabat in prætura collega, formam pueri cujusdam laudaret: Prætorem Sophocles inquit, decet, non solùm manus, sed & oculos abstinentes habere. *Plut. in Pericle, & Cic. lib. 1. Offic.*

Luxus.

B Leontychidem primum regem Spartanorum referunt cœnantem apud quendam, cùm tectum ædium magnificè structum & laqueatum cerneret, rogasse hospitem: Ecquid ligna apud eos quadrata nascerentur? *Plut. in Apoph.*

Chii marmore è lapidicinis suis eruto, versicoloribus maculis, muros suos ædificabant, & opus id M. Tul. Ciceroni ostentabant ut magnificum: Multò, inquit, magis mirarer, si Tiburtino lapide fecissetis. *Plin. lib. 36. c. 6.*

Cùm Pilio domum à fundamentis ad culmen usque accuratè extrueret: Alacrem, inquit Augustus Cæsar, facis me, perinde quæ ædificas, atque si futura sit Roma perpetua. *Plut. in Apoph.*

Fuci corporis.

Julia festinatos canos ægrè ferens, clàm vellere consueverat. Supervenit ornatricibus operi inhiantibus Augustus Cæsar, & vulsos capillos in illarum gremio notavit: sic tamen oculos avertit, ut nec vidisse videretur. Post tempus aliquod filiam sciscitatus est: Utrum suo tempore canos, an nullas habere comas mallet? Atque illa sine hæsitatione respondenti, & caniciem calvitio præferenti, sic insultavit: Cur igitur hæ antè tempus te decalvant? *Macrobius.* C

Avaritiæ, Sordium reprehensio modesta.

Lysimachi regis Parasitus, cùm ille scorpium ligneum in ejus pallium jecisset, perculsus & exiliens ut animadvertit ludum: Et ego quoque, inquit, te rex exterrere volo: Da mihi talentum. *Plut. lib. 2. Quæst. convivi. 1.*

Antigonus rex, uno de amicorum grege Aristodemo, qui patre prognatus dicebatur coquo, consulente ei, ut impensas & dona præcideret: Oratio tua, inquit, Aristodeme, olet jus. *Plut. in Regum Apoph.*

Solebat descendenti à palatio Augusto honorificum aliquod epigramma porrigere Græculus. Id cùm frustra sæpè fecisset, rursusque eum id facturum vidisset Augustus, breve manu sua in charta exaravit Græcum epigramma: Pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo laudare, mirari tam voce quàm vultu. Cumque accessisset ad selam, demissa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adjectus hic sermo: Μὴ χῦ πλὼ πόχλω σλω, σεβαστ' εἰ πλέον ἔχοι, πλέον ἐδίδοι: Non secundum fortunam tuam, Augu- D ste: si plus haberem, plùs darem. Secuto omnium risu, dispensatorem Cæsar vocavit, & sestertia centum millia Græculo numerari jussit. *Macbrob. lib. 2. c. 4. Satur.*

Exceptus Augustus à quodam cœna satis parca, & quasi quotidiana (nam penè nulli se invitanti negabat) discedens, valedicenti hoc tantùm insusurravit: Non putabam me tibi tam familiarem. *Ibidem.*

Ludovicus XI. Gallorum regi rusticus simplex rapum insignis magnitudinis dono dederat. Rex simplicitate hominis delectatus, mille aureos ei rependi jussit. Ibi tum nobilis quidam amplioris muneris spe, equum regi dono obtulit. Rex illi rapum istud antidoti loco dari præcepit. *Ægid. Corroz. de dictis & factis memorab.*

Carolo V. Imper. Mediceos Florentiam reducturo, Franciscus Carduccius ex plebe Dictator Florentinorum, severis exactionibus stipendia exigebat à civibus. Quum de his Carduccii imperitis nonnulli cives mœsto liberoque sermone in corona dissererent: Antonius Albertus vir honestissimus non infacetè dixit: Postquàm decoctori non Dictatori Rempub. commisistis, necesse futurum esse provideo, ut non omnes E cum ipsa Rep. decoquamus. *Iovius lib. 27. Hist.*

Corruptelæ munerum.

Acceperat Demosthenes ab Harpalo magni pretii craterem. Tum scitè Cherephon parasitus: Hic alios, inquit, vinosos vocans, magna ipse pocula sibi propinat. *Athen. lib. 6. c. 5.*

Acutam Catuli vocem in Clodianos judices, qui pecunia corrupti, manifesti facinoris reum absolverant, cum tamen iidem antea tanquam vim timentes, ut severè judicare possent viderentur præsidium à senatu postulasse, retulit Cicero primo libro epistolarum ad Atticum hoc pacto: Catulus cùm vidisset quendam judicum: Quid vos, inquit, præsidium vobis postulabatis? an ne numi vobis eriperentur, timebatis? In oratione quoque de Aruspicum responsis, nulla mentione Catuli facta, ita eosdem mercenarios judices Cicero notavit: Quibus olim erepti essent numi, nisi à Senatu præsidium postulassent. *Victorius lib. 18. Var. lect. c. 8.*

Orator Hortensius, qui à Verre Sphingem argenteam mercede acceperat, cùm Cicero aliquid obliquè dixisset, scire negavit solvere ænigmata. Cui Cicero: Atqui Sphingem, F inquit, domi habes. *Plut. in Apoph.*

Ambitionis, Iactantiæ, Superbiæ reprehensio Modesta.

Cleomenes rex, Argivis priorem pugnam, qua fusi fuerant, se reparaturo jactitantibus: Miror, inquit, si syllabæ adjectione unius evasistis, quàm ante, fortiores. *Plut. in Apoph.*

Pausanias Cleombroti filius Deliis disceptantibus de insula Delo cùm Atheniensibus, allegantibusque lege patria neque parere in insula mulieres, neque defunctos humari: Qui ergo, inquit, patria hæc vestra sit, in qua neque natus quisquam est vestrum, neque sepultus erit? *Plut. in Apoph.*

Ad Lacedæmonios, qui Thebanos accusabant, Epaminondas Bœotarcha: Atqui effecimus, ut jam succinctè vos dicere desieritis. *Plut. in sui laude.*

Menecrates medicus (qui quòd in deploratis quibusdam morbis curandis habuisset successum, Jupiter appellabatur) odiosè usurpabat eam appellationem, & verò ad Agesilaum regem sustinuit scribere: Menecrates Jupiter regi Agesilao salutem. Cui non lectis reliquis rescripsit: Rex Agesilaus Me- G necrati Sanitatem. *Plut. in Apoph.*

Ostentanti mulieri cuipiam Jonicæ telam quandam suam exquisitam, monstratis Lacæna quatuor filiis suis honestissimis: Hæc, ait, bonæ & honestæ fœminæ esse debere opera, atque ad hæc tollere animos eam atque exultare. *Plutarch. in Apoph.*

Cùm Alexander Magnus ad matrem ita scripsisset: Rex Alexander Jovis Ammonis filius, Olympiadi matri salutem dicit: Olympias ei rescripsit ad hanc sententiam: Amabo, inquit, mi fili, quiescas, neque deferas me, neque criminere adversùm Junonem. Malum mihi prorsùm illa magnum dabit, cùm tu me literis tuis pellicem illi esse confiteris. Ea mulieris scitæ atque prudentis erga ferocem filium comitas, sensim & comiter admonuisse eum visa est, deponendam esse opinionem vanam, quam ille ingentibus victoriis & adulantium blandimentis, & rebus supra fidem prosperis imbiberat, genitum esse sese de Jove. *Gell. lib. 13. c. 4.*

Alexander Magnus Mileti multas statuas contemplatus athletarum, qui ludis Olympicis & Pythicis fuerant victores: Ubi erant, inquit, tanta corpora, cùm urbem vestram bar- H bari expugnabant. *Plut. in Apoph.*

Aristo recitanti orationem funebrem Atheniensibus in laudem eorum, qui à Lacedæmoniis fuerant cæsi: Quos viros, inquit, hos qui superarunt, fuisse? *Plut. in Apoph.*

Pius II. Pontifex cùm conventu Mantuano Burgundi duo millia equitum, quatuor peditum pollicerentur, Germani armatorum duo & quadraginta millia, Ungari dimidio minus: Ragusini duas triremes, Rhodii quatuor, Cypri totidem, legati ex Sicilia hominum triginta millia, dicentibus Gallis, non antea excitandum foris peregrinum bellum, quàm ipsorum domesticum sopiretur: Mirum, inquit, Gallos qui semper alias vicerunt, hodie verborum magnificentia vinci. Borsii quoque Estensis legatis trecenta millia aureum numum pollicentibus, cum fidem non fecissent: Non opus est, inquit, tot numis, dimidio contentis. *Campanus in ejus vita.*

Crudelitatis.

In Antigone Sophoclis, inquiens Hæmon, Creontem patrem objurgans, quòd sponsam filii pararet occidere:

Εἰ μὴ

A Εἰ μὴ πατὴρ ἦδ', εἶπον ἂν σ' οὐκ ἂν φρονεῖν, *id est, Ni esses pater, te sapere dicerem haud bene.*

Antisthenes, adolescentes Socratem videre cupientes, philosophorum omnium sapientissimum, duxit ad Anyti domum: dicens, illum Socrate multò esse sapientiorem, ut qui Socratem accusasset. Er hoc dicto renovatum est civibus extincti Socratis desiderium, & Anytum expulerunt. *Laertius lib.6. c.1.*

Spartanus quidam hoc Hesiodi carmen laudibus ad cœlum efferebat:

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτο, μὴ γείτων κακὸς εἶη.
Non vel bos pereat, nisi vicinus malus adsit:

Id audiens Diogenes: Atqui (inquit) Messenii cum bobus suis perierunt, & vos illorum estis vicini. *Æl. lib.9. Var. hist.*

Epicharmus, cùm Hiero Siciliæ tyrannus, occisis nonnullis familiaribus suis, postridie ipsum invitasset ad cœnam: Atqui heri, inquit, cùm sacrificares necessarios tuos, me non vocasti. *Plut. de Discernendis adulatoribus.*

Fœmina senectutis ultimæ Syracusis, omnibus Dionysii tyranni exitium, propter nimiam morum acerbitatem & intolerabilia onera, votis expetentibus, sola quotidie matutino tem-
B pore deos, ut incolumis ac sibi superstes esset, orabat. Quod ubi is cognovit, non debitam sibi admiratus benevolentiam, accersivit eam, & quid ita hoc, aut quo suo merito faceret, interrogavit. Tum illa: Certa est (inquit) ratio propositi mei. Puella enim, cùm gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam: quo interfecto, aliquanto tertior arcem occupavit. Ejus quoque finiri dominationem magni æstimabam: tertium te superioribus importuniorem habere cœpimus rectorem. Itaque timens, ne si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedat, caput meum pro tua salute devoveo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit. *Val.lib.6.c.2.*

T. Quintius, cùm missus esset adversùs Philippum regem dux, adductus est, ut ad colloquium cum eo veniret. Petente obsides Philippo, quòd ille multique alii Romanis duces essent, se unum Macedonibus: Nempè tu, inquit Quintius, qui amicos interfecisti & necessarios, solum te ipse reddidisti. *Plut. in Apoph.*

Fridericus Comes Palatinus, anno 1463. ultima Junii quatuor principes, Carolum Marchionem Badensem, Georgium Episcopum Metensem, Episcopum Spirensem, & Ulri-
C cum Comitem Virtembergensem cum D. comitibus & nobilibus, Pontificis instinctu sacram militiam contra Palatinum, partes Comitis Isembergii ab Archiepiscopatu Moguntinense dejecti strenuè defendentis, professos: dum de obsidenda urbe, in quam totum confluxisse exercitum inversis equorum soleis decepti existimabant, consilia agitatet, absque sanguine cepit. In cœna primæ diei nullum illis panem apposuit, quòd contra Cyri legem nec agricolis nec segetibus pepercissent. *Cureus in Silesiæ Annal.*

Mendacii reprehensio civilis.

Xenophanes, cùm narraret quidam, anguillas se in aqua calida vidisse viventes: Ergo eas, inquit, in frigida elixabimus. *Plut. adversus Stoicos.*

Adulationis.

Cùm scripsisset Pindarus, Columen Athenæ Græciæ; tum
D Lacon: Ruet Græcia, inquit, tali quæ insidet columini. *Plut. in Lacon.*

Erat Alcibiades quidam Athenis, quem Laconistam appellabant, immensa promissa barba, ac læna semper amictus tetricusque. Hunc in curia Phoci on, acclamationibus jactatus, testem dictis suis & suffragatorem advocavit. Qui ut exurgens quæ accepta forent, consuluit Atheniensibus, apprehensa barba ejus: Quin igitur Alcibiades, inquit, tondes barbam? *Plut. in Phocione.*

Aristoteles Stagirites cùm judiciorum metu Athenis profugisset, interroganti cuidam: Qualis esset civitas Atheniensium? respondit, Pulcherrima: sed in ea (quod de Alcinoi Hortis Homerus protulit: ὄχνη ἐπ' ὄχνη γηράσκει, σῦκον δ' ὄζῃ σύκῳ, pyrus super pyrum, & ficus super ficum consenescit. Quo dicterio notavit Atheniensium sycophantas, & calumniatores perniciosissimos bonis viris. *Ælianus lib.3. de Varia hist. & Laertius ex Phavorini historia varia.*

Diogenes quodam tempore prandium in caupona sumens prætereuntem Demosthenem invitabat. Eo autem renuente quasi parùm honestus is locus esset: Atqui, inquit, hic quotidie diversatur; populum intelligens, cui concionatores adulantur. *Laertius.* E

Cùm Athenienses servum Antigoni regis, quem in honore habebat, in civitatem pro libero adscripsissent: Optarim, inquit, unum civem Atheniensem à me non fuisse flagris cæsum. *Plut. in Apoph.*

Lysippus plastes pictorem Apellem perstrinxit, quòd in effigie Alexandri manu pinxisset fulmen, ipse verò addidisset ei hastam, cujus nullum seculum gloriam esset deleturum germanam & propriam. *Plut. de Iside & Osiride.*

Simulationis reprehensio civilis.

Quum Antipatrum quidam laudibus efferrent, quòd esset apprimè frugi, ac victu præparcus, & apprimè austerus: ἔξωθεν, inquit Alexander, Ἀντίπατον λαδκοπόρφυρον ὄντα, τὰ δ' ἔνδον ὁλοπόρφυρον: id est, Antipatri quidam extima leucoparypha visuntur, at intima holoporphyra sunt. Leucoparyphus, albis indutus vestibus: holoporphyrus, totus purpureus, seu veste indutus holoserica. *Cælius lib.16. c.7.*

Cùm Veneti propter initum cum Turcis fœdus expeditioni Pii II. Pp. adversarentur, clàm tamen habita ratione, quantum essent collaturi, summam belli navalis dari sibi postularent, & F
classem insuper triremium & xx. navium rostratarum, ac peditum delectorum octo millia, & annuas decimas, & præterea quindecies centena millia ex publico: Hoc, inquit, Pius, Veneti, est recusare, non petere. Nos verò adeò vobis molesti non erimus, ut oneris tantum feratis. *Campan. in vita Pii.*

Incivilitatis.

Ciceroni gener erat Piso, qui cùm incessu cunctantior foret, quàm conveniret viro, filia ex diverso concitatior, quàm deceret fœminam, uno verbo lusit in utrumque: ait enim filiæ: Ambula ut vir. Anceps jocus, duos simul pupugit. *Machrob. & Plut.*

Augustus Imp. promiscuis salutationibus admittens & plebem, quendam joco corripuit, quòd sic sibi libellum porrigeret, quasi elephanto stipem. *Sveton.*

Inhospitalitatis.

Alexander Magnus, cum hyeme per algorem amicus quidam, qui excipiebat eum epulo, focum parvum & modicum ignis intulisset, aut ligna aut thus præcepit inferri. *Plut. in Apoph.* G

Venerant aliquando in legatione ad Lygdamim tyrannum Lacones, at producta ille sæpiùs die audientiam extraxit, atque ad postremum valetudinem ejus causatus est minister: legati, Nuncia ei, dixerunt, non certè luctatum venisse nos cum eo, sed collocutum. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Isaacius Angelus Byzantinus Imp. Friderici Barborossæ in Palæstinam exercitum ducturi legatos vix domum passus reverti est, neque eos consessu ullove alio honore dignatus est, sed æquè ut alios Græcos, serviliter astare permisit. At Fridericus posteaquàm legati Græci ad se venerunt, non tantùm ipsos sibi, sed ministros, coquos & equisones vel invitis dominis assidere jussit, hoc ipso exprobrans Græcorum imperatori inhumanitatem, qui omnes ex æquo contemnens, nullam rationem vel virtutis vel generis haberet. Nam si excessus officii reprehensione dignus est, longè magis officii defectus. *Nicetas lib.2.*

Maledicentiæ.

Hiero Siculus Xenophani Colophonio conquerenti ægrè servos se duos alere: At Homerus, inquit, quem tu vellicas, amplitùs decem millia alit extinctus. *Plutarch. in* H
Apoph.

Plistarchus narranti commendari eum à detractore quopiam: Miror, inquit, nisi retulerit quis ei me decessisse: Siquidem de nemine ille benedicere potest vivo. *Plutarchus in Apoph.*

Garrulitatis, Loquacitatis.

Labotus Spartanus, cuidam prolixiore utenti sermone: Quid mihi, inquit, de re pusilla longa texis proœmia? *Plut.*

Quum quidam Ephoris opportuna quidem loqueretur, sed pluribus quàm sat erat: Anaxandridas, Hospes, inquit, in re necessaria non necessario uteris; significans, quod per se rectum est & utile, non egere prolixa oratione, quòd ipsa causæ bonitas facilè seipsam commendet. *Plut.*

Laco audiens Rhetorem magnos sermonis circuitus connectentem: Per Geminos, inquit, fortis sanè homo: qui cùm nullum habeat argumentum, tamen egregiè volvit linguam *Plutarchus.*

Leon Eucratidæ, intempestivè de rebus non infrugifer. verba facienti: Parùm, inquit, hospes, opportunè re opportuna uteris. *Plut. in Apoph.*

Careo loquaculus volebat ab Isocrate oratore erudiri. Tum is: Duplicem ergo mercedem peto: alteram, ut loqui: alteram, ut tacere discas. *Brus.lib.6.c.6.*

Cum Aristoteles à garrulo importunis quibusdam dissertationibus fatigaretur & obtunderetur, arque ille subinde diceret: Nonne mirum hoc Aristotele? Non hoc, inquit, mirum: Sed si quis, qui pedes sit, te ferat. *Plut. de Garrulitate.*

Aristoteles, cùm apud eum garrulus quidam multa esset nugatus, & tandem dixisset, Fortassis obstrepo tibi nugis meis: Non hercule, inquit: neque enim adverti animum. *Erasmus in Apoph.*

Cùm Abderitarum Legatus apud Agidem regem Spartanum multa loquutus, vix tandem dicendi finem fecisset, rogaretque, quid civibus suis esset renunciaturus? Agis, Illud, inquit, renuncia, quantum temporis tibi fuit opus ad dicendum, tantum me silentem audisse. *Erasm. lib.1. Apoph.*

Quum Sophista quispiam apud Agidem dixisset, orationem esse rerum omnium præstantissimam, videlicet prædicans artem, quam profitebatur: Ergo, inquit Agis, tu cùm ta-
B ces, nullius pretii. *Plut.*

Venerat ex Hellesponto ad sortum Atticum Gnathænam Amator quidam, ejus fama & nomine permotus. Cùm itaque inter pocula plurima effutiret, & importunus esse videretur, respondens Gnathæna: Nunquid, inquit, tu te ex Hellesponto venire dixisti? cumque annuisset: Cur igitur, inquit, primariam inibi civitatem ignoras? Qui cùm diceret: Et quæ tandem est illa? Sigæum, respondit; σιγὴ enim silentium est. *Ælianus de Varia hist.lib.12.*

Demades tibiis Athenienses comparare solebat: ex quibus si linguam detrahas, reliquum inutile erit. *Maximus Serm. 60. Stob. Serm. 2. de Imprudentia.*

Theocritus à blaterone quodam interrogatus, ubi cras visurus esset ipsum? Illic, dixit, ubi ego te non videam.

Bion Borysthenites, cuidam immodicè loquaci, ut sibi subveniret oranti, respondit: Abundè tibi morem geram, si advocato miseris, non veneris ipse.

Rex Archelaus garrulo tonsore humeris ejus admovente lintea, ac rogante: Quomodo te rex tondebo? Silentium,
C inquit, tenens. *Plut. de Garrul.*

Zeno Citticus adolescenti cuidam multa garrienti: Aures, inquit, tuæ in linguam defluxere: submonens, adolescentis esse audire multa, loqui pauca. Alium quendam multa temerè garrientem, hoc dicto corripuit: Ob id binas habemus aures, os unicum, ut plurima audiamus, loquamur paucissima, Juveni confidenter loquenti: Non dixerim, inquit, ô adolescens, quæ mihi succurrunt: subnotans, à sermonis procacia colligi & morum impudicitiam. *Eras.lib.7. Apoph.*

Idem Aristonem discipulum multa temerè garrientem, quædam etiam præcipitanter confidenterque: Fieri, inquit, non potest, quin te pater ebrius proseminarit. *Erasmus lib. 7. Apoph.*

Bion Boristhenites ad Theognim dicentem:

Τᾶς φ αὐὴρ πενίη δεδμημένος ὅστε τι εἰπεῖν
Οὐτ' ἔρδειν δυνάται, γλῶσσα δ' οἱ δέδεται.
Cui res sunt tenues, nil quicquam hic dicere possit:
Nec facere, est enim vinclo arcto lingua restricta.

Qui fit igitur, tu pauper cùm sis, ut tam multa garrias, & obtundas nos loquacitate tua? *Plut. de Audiendis poetis.*

D

Petacitatis.

Jacobus Archiepiscopus Treverensis Elector, ad extollendam Ecclesiæ suæ potentiam nimis attentus, Fridericum III. Cæsarem apud civitatem cùm adiisset, & alia atque alia petens impetrasset, pluraque petendo instaret: Si non facis, inquit Imperator, petendi finem, ego negandi principium faciam. *Æneas Sylv. lib.2. Com. in Panor.*

Curiositatis.

Cùm ora maritima à Micione, qui ingenti manu Macedonum & mercenariorum in Rhamunta descenderat, agerque vastaretur: eduxit Phocion in eum exercitum Atheniensium. Ibi alio hinc inde accurrentibus, inferentibusque se in partes ducis, & monentibus, ut illic tumulum occuparet, illic equitatum circummitteret, hic subsidiarios inter principia locaret Papè! inquit, quàm multos duces, paucos video milites? *Plut. in Phocione.*

L. Paulus Æmilius reperiens in castris ingentem ferociam E & loquacitatem, quòd milites Imperatoris officio se ingerent, & consilia jactarent sua: edixit, ne sibi obstreperent, sed gladios acuerent solùm: reliqua sibi curæ fore. *Plut. in Apoph.*

Impietatis.

Timotheus citharœdus insignis, in theatro Dianam canebat: μανάδα, ἐνάδα, φοιβάδα, λυσάδα, & similibus epithetis eam appellans. Tum Cinesius Dithyramborum poeta: Si hæc laude sunt digna, similem tibi opto filiam. Arguè cum reprehendens, quòd deæ id tribueret, quod vix miserrimis hominibus conveniat. *Plut. de Audiendis poetis.*

Latrocinii.

Theocritus ei qui dicebatur grassator esse, & rogabat: Ad cœnam ire pergeret? respondit: Pergere verò se, sed illic noctu quieturum. *Plut.lib.2. Quæst.convival.1.*

Superstitionis.

Leontychidas Aristonis F. cùm portæ proximæ clavem draco spiris suis complexus esset, idque augures affirmarent esse portentum: Mihi, inquit, nequaquam videtur: sed si clavis fuisset complexa draconem, portentum erat. *Plutarchus* F
in Lacon.

Proditionis.

Cùm Olynthius Lasthenes quereretur & fremeret, quòd proditorem se nonnulli ex Philippi Macedonis comitatu appellarent: Rudes natura & rusticos, ait Philippus, esse Macedonas, ac scapham scapham vocare. *Plut. in Apoph.*

Parricidii.

Græci quidam ajunt, quòd post occisum Smerdem à Cambyse fratre, rex duos catulos, alterum leonis, alterum canis, inter se commiserit, huicque spectaculo interfuerit soror Cambysis: at cùm à leunculo catulus superaretur, alterum catulum, hujus canis fratrem, abrupto loro supervenisse: & cùm duo essent, ita superiores leunculo extitisse. Cambyse igitur capiente voluptatem, soror illacrymavit. Interrogata: Quidnam lacrymaretur? Respondit, se viso catulo suppetias fratri ferente, ideò flere, quòd subierit memoria Smerdis, cujus sciret neminem fore ultorem. Ob hoc dictum à Cambyse interemptam memorant. *Herod.3. & Justinus.*

Adolescens ei at quidam in crimine, virus parenti obtulisse in placenta. Eo ferociter jactante, Ciceronem probris se inse- G
ctaturum: Hoc, inquit, malo abs te Cicero, quàm placentam. *Plut. in Cicerone.*

Impotentiæ reprehensio modesta.

Cùm iratus esset P. Clodius Decio Valerio diceretur, quòd ei minum petenti non dedisset: Quid amplùs, inquit, mihi facturus es, nisi ut Dyrthachium eam, & redeam? alludens ad Ciceronis exilium. *Macrob.lib.2.c.6.Saturn.*

Ignobilitatis.

P. Scipio Africanus C. Lælii, amicorum omnium charissimi, consularis candidati petitionem studio suo juvans, requisivit de Poppio, Num ipse quoque consulatum ambiret? Dicebatur Poppius tibicinis esse filius. Abeunte eo ambire, imò pro Lælio etiam se prensaturum ostendente, habita fide, dum operiuntur illum, delusi sunt: nunciatum est enim, eum in foro ambire & prensare cives. Cùm ibi stomacharentur cæteri Scipio ridens: Stulti, inquit, sumus: qui quasi non homines simus, sed deos precaturi tempus jam diu terimus, tibicinem præstolantes. *Plut. in Apoph.*

Impudicitiæ suorum.

Cicero, quærenti Metello: Quis pater ejus esset? Hanc, inquit, responsionem mater tua efficit difficiliorem. Erat enim ejus impudica mater, ipse autem leviculus temporariusque Metellus, atque in appetitus suos præceps. *Plut. in Apoph.*

Erat Verri filius, qui parùm pudicè formam habuerat. Cùm autem objiceret pater Ciceroni mollitiem, atque cinædum appellaret: Nescis, inquit, liberis intra fores convitiandum esse. *Plut. in Apoph. & in Cicerone.*

Objectorum refutatio, cum morsu vel absque morsu.

☞ *Respectu Veritatis, Prudentiæ, ad Veritatem & Prudentiam hic locus pertinet: Respectu verò moderationis, ut ne alios quidem offendat, aut saltem moderatè offendat, in præsens considerantur.*

Ardalus in convivio Sapientum apud Plut. Anacharsim rogavit: Sintne apud Scythas tibicinæ? Hic subitò: Ne vites quidem,

A quidem, inquit. Rursus instante Ardalo: At deos certè habent Scythæ: Sanè verò, infit, linguæ humanæ intelligentes, non Græcorum more: qui cùm elegantiùs se dicere quàm Scythas putent, deos tamen ossa & ligna audire arbitrantur libentiùs.

Cùm accusaret aliquando Stilpo philosophus Glyceram inter potandum, veluti quæ juvenes corrumperet, ut asserit in vitis Satyrus: tum illa: In eodem hærenus luto, ô Stilpo. Namque te etiam eos corrumpere ajunt, qui tecum congrediuntur, cum inutilia amatoriaque sophismata illos doceas: meque eodem pacto. Nihil enim differt, apud philosophum corrumpantur, an apud scortum. *Athen. lib.* 13. *cap.* 17.

Antigonus rex poetæ Antagoræ congrum elixanti, & parellam quatienti, assistens ponè: Putasne, inquit, Homerum, Antagora, acta cùm describeret Agamemnonis, elixasse congrum? Cui Antagoras: Tu verò, inquit, rex, num Agamemnonem censes, cùm acta ederet illa, esse rimatum, ecquis in castris congrum elixaret? *Plut. in Apoph.*

Leon Byzantius, cùm ei diceret Pasiades, Lucem ejus obtu-
B lorum perturbatam esse: Vitium, inquit, corporis mihi improperas, qui filium tuum non vides humeris ferentem Nemesim. Habebat autem filium Pasiades gibbum. *Plut. lib.* 1. *Quæst. convival.* 1. At *com. de Vtil. ex inimicis capienda*, ipsum met Pasiadem gibbosum fuisse innuit.

Cleomenes rex insectanti eum atque obiicienti: Delicatus es, Cleomene: At præstat id, inquit, quàm injustum esse: Tu verò, quamvis quod satis sit possideas, avarus es. *Plutarchus in Apoph.*

Cùm quidam Laconi ipsum mentiri dixisset, respondit: Nempè liberti sumus. Alii, ni vera diximus, non ferent impunè. *Idem.*

Zeno ad examen Theophrasti discipulorum ὁ ἐκείνου χορὸς μείζων φῦν, ὑμῶν, ὦ συμφοιτηταί. *Plut. de Laude suipsius.*

Arcesilaus, cùm in ludo id à quodam amatore esset objectum: Videris mihi nullius forma pelli: Te ergo, inquit, hujus forma pellat; monstrans juvenem quempiam ei assidentem honestum & speciosum. *Plut. lib.* 2. *Quæst. convival.*

Xenophanes, cùm Lasus Hermiensis recusantem
C alea secum ludere, timidum vocaret, fassus est sanè quàm timidum se ad turpia & languidum esse. *Plut. de nimia verecun.*

Festivè serotinum Philippi studium & curiositatem repressit Fidicen. Nam cùm coarguere eum Philippus in pulsandis fidibus & harmoniis existimaret: Dii meliora, inquit, rex, quàm ut eò recidas, hæc ut à me noscas rectiùs. Quippe dum seipse deridere videbatur, illum sine offensa castigavit. *Plut. lib. Quæst. convival.* 1.

Demetrio Poliorceti omnium erat Lysimachus Thraciæ rex infestissimus: qui insectatus eum ob Lamiæ amores, dictitabat, nunc primùm scortum se ex tragica prodeuntem scena vidisse. Contrà Demetrius, castiùs jactavit illius Penelope suum esse scortum. *Plut. in Demetrio.*

Archelaum regem, qui ad largiendum habebatur astrictior, cantans Timotheus hoc taxavit subinde dicterio: Tu sanè terrigenam laudas peuniam (γηγενέταν ἄργυρον.) Cui, Archelaus occurrit haud inconcinnè: At tu poicis. *Plutarch. orat.* 2. *de Alex. fortuna.*

D Antalcidas Spartiata ad Athenienses, qui dixit: Sæpiùs tergis vestris à Cephiso inhæsimus: Nos verò, ait, vestris ab Eurota nunquam. *Plut. in Præcept. polit.*

Jactante aliquando Argivo, Frequentes tumuli sunt apud nos Spartiatarum: respondit Lacon: Apud nos verò Argivorum nullus, quòd Argos ipsi frequenter invasissent, Argivi Spartam nunquam. *Plut. in Apoph. Lacon.*

Plistonax Pausaniæ, oratore quodam Attico Lacedæmonios appellante indoctos: Rectè, inquit, dicis. Nos enim ex Græcis soli nihil à vobis didicimus mali. *Plut. in Apoph.*

Quum Epaminondæ Meneclides æmulus obiiceret, quòd liberos non haberet, neque uxorem duxisset, quòdque sibi Agamemnonis gloriam bello videretur consecutus? Desine, inquit Epaminonda, de uxore mihi exprobrare: nam nullius in ista re minùs quàm tuo uti consilio volo. Habebat enim Meneclides suspicionem adulterii. Quod autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris. Namque ille cum universa Græcia vix decem annis unam cepit urbem: ego contrà ex una urbe nostra, dieque uno, totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberavi. *Probus in Epaminonda.*

Cùm Thebanis Argivi se consociassent, Athenienses autem legati in Arcadiam profecti utrosque criminarentur, atque orator Callistratus hisce civitatibus exprobrasset Orestem & Oedipodem: exoriens Epaminondas, Fatemur, inquit, apud nos patricidam extitisse patris, & genitricis apud Argivos: Cæterùm eorum scelerum auctores nos exegimus, Athenienses receperunt. *Plut. in Apoph.* E

Athenienses Demadem præponentes Phocioni, belli ducem constituerant. Qui cùm ambitu superasset Phocionem, summè animum exulit: & accedens Phocionem: Accommoda, inquit, mihi sordentem istam chlamydem, quam gestare solitus es in tuo belli principatu. Cui respondens Phocion: Numquam, inquit, quicquam tibi sordens deerit, dum talis fueris. *Ælianus lib.* 14. *de Var. hist.*

Idem vociferante Demade (vel Demosthene) Necabunt te Athenienses, si insanierint: At te, inquit, si sapuerint. *Plut. in Præcept. politic.*

Eidem cùm exprobraret in concione Lycurgus, quòd deposcenti decem cives Alexandro fuisset auctor, ut dederentur: ait: Multa ego his recta & salutaria consilia dedi, verùm non parent mihi. *Plut. in Phocione.* F

Objectavit P. Crasso Domitius: Tune muræna, quam in vivario alebas, mortua flevisti? Cui alter: Num tu qui tres extulisti uxores, flevisti? *Plut. de Emol. ex inimicis capiendo.*

Cicero cùm esset ad Pompeium profectus, & rursus eum consilii pœniteret, à Pompeio rogatus, Ubi Dolabellam generum suum reliquisset? Apud socerum, inquit, tuum. *Plut. in Apop.*

Cùm Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus à C. Jul. Cæsare evestigiò in quatuordecim gradus ad spectandum transisset, violato ordine, cùm detractus esset eques Romanus, & cùm minùs remissus: ait Cicero prætereunti Laberio, & sedile quærenti: Recepissem te, nisi angustè sederem: simul & illum respuens, & in novum Senatum jocatus cujus numerum Cæsar supra fas auxerat, ut XIV. gradibus capi non posset. Respondit Laberius: Mirum si angustè sedes, qui soles duabus sellis sedere; exprobrata levitate Ciceronis. *Macrobius lib.* 2. *cap.* 3. *Sat.*

Libertum Imperatoris arrogantem, odiosè ac superbè philosophis, qui unà cum eo in cœna erant, insultantem, G tandemque interrogantem: Qui ex fabis albis & nigris fiat fabata? invicem cùm rogasset Aridices: Qui ex albis & non albis loris vibices fierent rubeæ? exurgere eum magna cum acerbitate coegit. *Plut. lib.* 2. *Quæst. convival.*

Joannes Gallorum rex, cùm reditum in Galliam ab Eduardo III. Anglo, à quo captus fuerat, datis filiis obsidibus, impetrasset, & Parisios pervenisset: vocato Senatu, plurimùm fatum suum ac regni calamitates lamentabili querebatur voce, ac inter cætera exclamabat conquerens: Nullos modò se Rolandos aut Gavinos reperire. Ad quod unus ex majoribus natu, cujus aliquando virtus in juventa claruisset, ac propterea regiæ insensior ignaviæ, respondit: Non defuturos Rolandos, si adsint Caroli. Quod dictum gravius ac quisquam credebat cor regis constrinxit, arbitrantis sese ignaviæ insimulari. Itaque statim dimisso senatu, nullam rem postea egit: nec ita multò post in Angliam abiit, visendorum, ut ajebat, filiorum gratia: ut alii, odio suorum voluntarium eligens exilium. Remissis autem in Franciam liberis, haud ita diu superfuit, Londini fatis concedens. *H. Boeth. lib.* 15. H

Cùm David Lindesayus Comes Vellem Anglum in ponte Londini singulari certamine vicisset, eoque nomine à rege Richardo II. magnis afficeretur honoribus: fœcialibus Anglorum (qui rei militaris prudentia reliquos omnium judicio antecellunt) multis verbis Davidem commendantibus, magnatum quidam ægrè id ferens: Non mirum, inquit, videri debet Scotos nunc adeò nobilitate ac viribus reliquos antecellere: quippè qui paucos abhinc annos, occupata Anglorum armis Scotia, ex sanguine nostratium nobilium prognati sint. Ad ea David: Tam nos è vestro sanguine, quàm vos ex monachis, sacerdotibus, rusticis & agasonibus; qui interea dum patres vestri alienos agros colunt, neglectos ab illis fundos legitimos invasere. *H. Boeth. lib.* 16.

Jacobus Grandis Carrariensis, qui primus populi consensu an. 1318. Patavii princeps factus est, morti proximus, facta sui potestate omnibus, cuicumque queri de se vellet, laxatis foribus, liber aditus patebat, ut si fortè aliqua in re quempiam defraudasset, præsens ipse indicaret, redditurus, quicquid injustè acceperat. Interim cùm omnes ejus dicta factaque maximè appro-

A approbassent, quidam arroganter petiit, pecuniam ob remissam sibi capitis damnationem restitui, tanquam indebitè solutam. Cui Jacobus generoso spiritu, sed exili voce (animam enim jam trahebat) Si tunc justitia in te servata fuisset, respondit, nunc, quod injustè facis, queri de me non posses: Nam capitalis criminis reus eras factus: cujus pœna in pecuniam, non in tuam, neque in meam, sed in Reipublicæ gratiam, commutata est. Quare ubi veterator, & qui hactenùs malus fuistis, muratis in melius moribus, vir bonus esto: quum si pecunia redditur tibi, tu quoque caput (quod æquum est) pariter reddas necesse sit: id enim ea pecunia redemisti. Nullius ego mihi peccati propterea malè conscius sum, nisi fortè quòd mitiùs, quàm merueras, multatus fueris. *Bern. Scard. lib.* 3. *hist. Pat.*

Georgius Castriotus Epiri Despotes, falcato ense tauri collum uno ictu dissecuisse fertur. Eum ensem cùm Mahometo II. Turcarum tyranno magni muneris loco misisset, & is facto periculo, vix medium tauri collum penetrare potuisset: adulterinam, non veram laminam sibi oblatam causabatur. Tum Castriotus, ipsissimum se, quo taurum decollasset, gladium misisse affirmavit: at brachium mittere nec potuisse nec vo-
B luisse.

Dantes Aligerius, Florentinus, exul apud Canem Veronæ dominum vivebat. Aderat Florentinus alius, homo indoctus, & sola scurrilitate notus. Cùm illum Dantes vir doctissimus, sapiens ac modestus, ut æquum erat, contemneret: Quid est, inquit ille, quòd tu cùm habearis sapiens ac doctissimus, tamen pauper es & egenus? Ego autem stultus & ignarus, divitiis præsto. Tum Dantes: Quando ego reperiam dominum, inquit, mihi similem, & meis moribus conformem, sicuti tu tuis, & ipse similiter me ditabit. *Poggius in Facetiis.*

Sigismundus Imp. cuidam querenti, Constantiæ libertatem non esse: Atqui, inquit, nisi hic summa esset libertas, tu tam liberè minimè loquereris. Liberè enim loqui, magnæ libertatis est signum. *Poggius in Facetiis.*

Pius II. Pont. Max. in conventu Ratisponensi malè sustentatas à legato Cæsaris partes, ipse suscepit oratione extemporanea: ubi dicenti adversario, Et quando desines molestus Germanis esse? Cùm, inquit, tu incipies illis molestus non esse. *Campanus in ejus vita.*

Hispanus ad cœnam à Belga mercatore Antverpiæ voca-
C tus, cùm pulchertima aulæa, & vasa argentea affabrè cælata ab inquilinis artificibus confecta audiret: mirari cœpit, tantum ingenii ebriæ genti superesse. Belga dicterio ictus: Nostri sanè, inquit, cùm hominibus vinum potando, ingenia excitant: vestri cùm asinis aquam bibunt.

Stephano Poloniæ Regi Moscus multa objecerat: Ad cujus convitia respondit: Neque se eum esse, qui contumeliam ullam accipere possit: nec in Moscum, cujus turpitudo & crudelitas omnibus nota sit, rectè hanc alios insectandi personam convenire. Regem se non tam molestè ferre non natum esse, quàm gaudere, quòd virtute sua ad regnum pervenerit: quòd ea ratione ad honorem hunc evocatus sit, qua summus Pontifex à Cardinalibus, Imperator, qui Principem inter Christianos Principes dignitatem obtinet, ab Electoribus Germaniæ: qua multi alii Reges ac Principes omnibus temporibus sui quisque regni Ordinibus. Interim præclarum sibi ducere privato loco, nobilibus Majoribus ortum, qui rebus Christianis egregiam sæpè operam navarint, amplissimos honores gesserint, provincias administrarint, magnaque virtutis & pietatis laude floruerint, cùm majores sui reges non fuerint, vir-
D tute tamen sua regnum se adeptum esse: cùm illum, nisi ita, ut esset, natus fuisset, mores ejus quemvis potiùs alium quàm principem facturi fuissent: minimèque illi invidere, quòd non plurimorum de eo hominum judicium, aut spectata virtus ejus potiùs, quàm mulieris Glinscii Sigismundi quondam Regis proditoris filiæ uterus, Moscoviæ dominum imposuisset, &c. *Reinold. Heidenstenus lib.* 4. *belli Moscov.*

Minari civiliter, modestè.

Cum relicta urbe Pompejus ad mare se reciperet, ac Metellus, qui præfectus erat ærario, argentum capere Cæsari quærenti vetaret, ærariumque præclusisset, denunciavit ei necem. Consternato Metello: Hoc, inquit, adolescens, dictu mihi quàm factu est difficilius. *Plut. in Apoph.*

Jacobus, cognomento Grandis, Carrariensis, antequam princeps fieret, cùm patrocinium laturus cuidam amico ad prætoris venisset tribunal, ut amici causam judici commendaret, & adversæ partis patronus, omissa causa, quam agebat, liberè se lingua & indignis in eum convitiis invehi cœpisset: ei ille summa modestia respondit: Ut bene causam diceret, desi- E neret de se maledicere. Cùm verò inde uterque discederet, Jacobus illi in autrem insusurravit: Linguam tibi præcidam maledice. At ille hoc verbo audito, ad judicem conversus, in absentem debacchatus est. Jacobus verò, ubi primùm domum sese recepit, jussit, quantum frumenti currui imponi poterat, & suem domesticum magni ponderis ad illum deferri, suoque eidem nomine donari. Accepit ille lubens, & gratias agens dixit: Prorsùs sanè dominus meus placidè sine ferro lingoam mihi præcidit, & contra se mutum reddidit. *Bern. Scard. lib.* 3. *classe* 13. *hist. Pat.*

Munerum exactio modesta.

L. Cæcius, cùm C. Cæsar aliis qui secum pila lusitabant, centena sestertia, illi uni quinquaginta dari jussisset: Quid ego, inquit, una manu ludo, & non duabus, ut plus habere possim? *Macrob. lib.* 2. *c.* 6. *Saturn.*

De Augusto, cui Græculus cum Epigrammate paucos nummos dedit, ☞ *Vide supr. Reprehensio modesta, humana*, §. *Avaritia.*

Adolescens quidam Danus, Vviggo nomine, Rolvonis Danorum Regis giganteam staturam contemplatus, percon- F tari per ludibrium cœpit, Quisnam esset iste Krage? hoc est, truncus, cujus semicæsis ramis fastigia scalæ instar conscenduntur. Hunc vocis jactum Rolvo perinde ac inclytum cognomen amplexus, urbanitatem dicti ingentis armillæ dono prosecutus est. Qua Vviggo dexteram exultam attollens, læva per pudoris simulationem post tergum reflexa, ridiculum corporis incessum præbuit: & causam rogatus, sinistram manum ornamento carentem paupertatis rubore perfundi dixit. Ergo Rolvo manum quoque sinistram altera armavit armilla. Ibi tum Vviggo, arctissima voti nuncupatione pollicitus est, si Rolvonem ferro perire contingeret, ultionem se ab ejus interfectoribus exacturum: id quod non multò post fortiter præstitit. *Saxo lib.* 2.

Tributorum placida exactio.

Ut Mithridates pace pacta recepit se in Pontum Euxinum, Sylla autem Asiæ viginti millia talentum multam indixit: injuncto L. Lucullo munere hujus pecuniæ exigendæ & signandæ monetæ, allevatio quædam Syllæ acerbitatis videtur fuisse civitatibus oblata: quòd non modò innocentem & justum se, sed levem etiam in tam gravi & tristi præstaret provincia. *Plut.* G *in Lucullo.*

Tyberius Imp. præsides provinciarum sæpè scripto monuit, ne subditæ civitates plùs æquo tributis onerarentur: boni pastoris esse dictitans, tondere pecus, non deglubere. *Sab. lib.* 1. *Emn.* 7.

NON FACERE, AVERTERE, AMOLIRI, tollere. U.C.

Cædem prohibere, Impedire.

Thebanorum lex est, Ne civi Thebano liceat infantem exponere, capitis periculo: sed si paupertate pater prematur, partum cum fasciis ad magistratum deferat. Qui acceptum committit cuivis volenti, ut pro alimentis eo deinceps servi loco utatur. *Ælian.* 2. *Var. hist.*

Herodes Judæorum Rex, conclusos in circo Hierichuntino Judæorum principes, se mortuo, interfici jusserat. At Salome soror, & maritus Alexas, priusquam regis mors innotesceret, in circo clausos domum suam quemque dimiserunt: dicentes ipsum ita jubere, ut in agros digressi, curarent suamet ipsorum negotia: atque hoc pacto magno beneficio universam gentem sibi devinxerunt. *Joseph. lib.* 17. *c.* 10. *Antiq.*

Arcana non scrutari. H

Lysimachus Rex, cùm Philippidi comico & familiari dixisset: Quid tibi meorum participabo? Tum ille: Quidlibet, modò ne arcana. *Plut. in Apoph.*

Athenienses captis Philippi tabulariis, epistolam quam illi ferebant Olympiadi inscriptam, non solverunt: neque arcanam viri foris agentis ad uxorem aperuerunt comitatem. *Plut. Præceptis polit.*

Tributa non exigere.

Steno Junior Sveonum Rex fuit admodùm popularis, ita quidem ut olim patri Svantoni, cùm populum tributis onerare, ad genua procubuerit, & tributorum laxationem impetrarit. Quocirca jam in Principem assumptus, non modò tributa à benevolis subditis, sed ipsam eorum vitam pro sua ipsius salute in mille mortis pericula paratam & proptam expertus est. *Io. Magnus lib.* 24. *c.* 2.

Repre-

A *Reprehensionem, Obtrectationem fugere.*

Chrysanthus Lydus, philosophus & Pontifex, comis in congressu erga omnes erat; adeò ut qui ab eo digrediebantur, ambitione quadam id facere crederent. Neque facilè quis illum audivisset eruditionem suam ostentantem, eoque nomine insolentiùs se efferentem, aut arrogantia inflatum adversus alios: imò ab iis dicta probabat, si vel perperam dicta forent: opinionemque licèt absurdam laudabat, ut ne quem contristaret. *Eunapius in Præceptoris vita.*

Pomp. Lætus nulli maledixit aut detraxit unquam, ac ne pati quidem poterat apud se alienam dignitatem lacerari. Silentium in eo signum non probantis, quæ temerè alii mirarentur, aut carperent: susque deque ferre, quod aliquis de se malè opinaretur. Qua moderatione vixit omnibus charissimus. *Sabel. in ejus vita.*

Non contemnere alios præ se.

Mecoenatem *Horat. lib.1. Sat.6.* laudat, quòd quamvis regio natus esset sanguine, neminem tamen juxta se contemneret, inter cætera sic inquiens:

— *persuader hoc tibi verè,*
B *Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,*
Multos sæpe viros, nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis & honoribus auctos.

POPULARITATIS FORMA IN OFFICIORUM ADMINISTRATIONE PASSIVA.

Hoc est, quatenùs ipsemet pati videtur, tum A SEIPSO, DUM SUA MALA modestè, civiliter

IRRIDET.

Agesilai Archidami F. clauditatem tegebat corporis florentis decor: & quòd hanc facilè hilariterque ferret, primusque jocaretur & rideret semetipse, id haud mediocris erat illius vitii emendatio: imò verò id laudis cupiditatem ejus magis declarabat, quòd nulli laborì vel operi succumberet ob clauditatem. *Plut. in Agesilao.*

EXCUSAT.

Zeno philosophus rogatus, Cur in convivio tam hilaris esset, qui alioqui severior videbatur, respondit: Lupini (inquit) quum sint amari, perfusi tamen aqua dulcescunt. *Laert.*

Antisthenes Cynicus, quum salsamenta per forum gestaret, quibusdam admirantibus, quòd philosophus officio tam sordido fungeretur, idque in publico, ac non potiùs servo id delegasset: Quid, inquit, admiramini? hæc mihi porro, non aliis. Sentiens, nullum esse sordidum obsequium, quod sibi quis impenderet. Deinde non esse indecorum, eum portare salsamenta, qui salsamentis vesceretur. *Laert. lib.6.c.1.*

C

L. Paulus Æmilius cum uxore Papyria divortium fecit. Necessarii quum ab eo scisciterentur, ac molestè nimis quærerent, Ecquid esset, quòd talem à se fœminam alienaret? quæ pudica esset, formosa, fœcunda. Tum ille pedem extulit, inde ad eos conversus: Videtìne, inquit, quam hic calceus pulcher sit, quàm recens, quàm aptus; & tamen ignoratis, qua parte ille pedem offendat. *Sab. lib.8. Enn.5.*

Julia Augusti filia, inter multas & varias naturæ dotes, comitatem sermonis habuit. Contra crebros patris monitus, culta lascivìùs, oculos ejus turbaverat. Sed modestiore habitu reversa, mitigare paternam indignationem voluit. Itaque verba quæ dolor oppresserat, gaudium Augusto expressit. Et: Sentìsne, ait, quantò magis hic, quàm hesternus habitus deceat Augusti filiam? Non obstupuit illa tanti censoris majestatem, sed: Heri me (inquit) viri, hodie patris oculis ornavi. Eandem in spectaculo ludorum circumvallaverant adolescentum impudicorum agmina, cùm ex adverso Livia Augusta venerando modestiæ comitatu staret. Hæc Cæsareæ conjugis ac natæ varietas, populum commoverat: sed ipsum maximè Augustum. Commonefecit ergo Juliam brevi scripto, circumspiceret, quanta morum imparitas inter duas dignitate pares fœminas foret. Illa castigatorem suum repulit his verbis: Et hi mecum senescent. Amico sobrio & prudenti, ut se paternæ frugalitatis imitatricem faceret, modestosque illius mores in animum induceret, respondit: Ille se Cæsarem obliviscitur, ego Cæsaris me filiam recordor. *Macrob. lib.2.c.5. Satur.*

D

AB ALIO QUANDO AMOLITUR ALIORUM

Suspicionem.

E

Cùm ex ædificio magnifico in suspicionem affectati regni incidisset P. Val. Poplicola, una nocte totam domum, parte urbis eminentiore, Velia dicta, extructam, unà cum fundamentis diruit: non tantùm crimine, verùm etiam suspicione carere volens. *Plut. in ejus vita.*

Adulationem.

☞ *Ex loco, Adulationem non ferre, illustretur. Illic mendacii, hic nimiæ popularitatis ratio habetur.*

Alexander Magnus, cùm in certamine cursus Crissontem Himeræum sibi credere videret, graviter hanc adulationem tulit. *Plut. de Dignosc. adul. ac de Tranqu. animi,* Brisonem vocat.

Augustus & Alexander Severus, si quis inter salutandum flexisset caput, aut assentaretur blandìùs, foras detrudi atque exigi jussere. *Alex. lib.2.c.19.*

Fert civiliter Aliorum F

Libertatem.

Artaxerxes Mnemon, Persarum Rex, Euclidæ Laconi multa verba præfractè apud se effundenti, jussit dicere tribunum: Tibi licet quælibet ad me dicere: mihi & dicere & facere. *Plut. in Artaxerxe.*

Augusto Cæsari in Senatu verba facienti dictum est, Non intellexi: & ab alio, Contradicerem tibi, si locum haberem. Interdum ob immodicas altercationes disceptantium è curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, Licere, oportere Senatoribus de Repub. loqui. Antistius Labeo Senatus lectione, cùm Triumvirum legeret, M. Lepidus, hostem olim ejus, & tunc exulantem, legit; interrogatusque ab eo, An essent alii digniores? Suum quemque judicium habere, respondit: Nec ideò libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit. *Sveton.*

M. Antoninus Pius Imp. cùm domum Omuli visens, mirans que columnas Porphyreticas, requisisset, unde eas haberet; atque Omulus ei dixisset: Cùm in domum alienam veneris, & mutus & surdus esto: patienter tulit. *Capitolinus.* G

Petebat à Ludovico XI. Gallorum Rege quidam politicum magistratum. Rex severè negare. Tum ille clara voce: Gratias ego verò tibi, ò Rex, immortales me debere profiteor. Rex vel stultum vel surdum hominem putans esse, an rectè mentem suam percepisset, rogavit. Tum ille: Enimverò, inquit, & propterea tibi gratias egi, quòd absque tergiversatione & procrastinatione, præter morem tuum, me expediveris. Ea libertate delectatus Rex, dignitatem denegatam sponte illi concessit. *Ægid. Corrozetus de Dictis & factis mem.*

Græcorum principes apud Trojam Thersitis scurræ nequissimi scommata patientia summa tolerabant. Græci cæteri eum propterea odio prosequebantur maximo. Qui ulcisci poterant, non curabant: qui curabant, non poterant. Tandem verò cum sua maledicentia Græcos ad seditionem accendere videretur, ab Ulysse & verberibus & verbis graviter fuit castigatus. Inde discimus, quousque aliorum maledicta reges perferre debeant. *Iliad. β.*

Cùm Athenienses in bello essent abjecti & trepidi, pace verò H
D facta ferocirent, ac convitiis incesserent Phocionem, quasi eripuisset ipsis victoriam: Felices estis, inft, ducem qui habeatis vos cognoscentem: alioquin jam dudum periissetis. *Plut. in Phocione.*

Melanthius, cùm à comico perstringeretur: Mercedem, inquit, quam non debebas, mihi persolvis. *Plut. lib.2. Quæst. conv.*

Agathocles tyrannus, cùm aliquando urbem non ignobilem oppugnaret, & oppidani de muro clamarent, Figule & caminarie quando stipendia militibus tuis solves; respondit: Postquam urbem cepero. *Diod. lib.20.*

C. Jul. Cæs. dicteria in ipsum torta, cùm facetissimus esset, non modò æquo animo tulit, sed mirum etiam in modum probavit. *Panorm. de Reg. gestis Alph.*

Tyberius, cùm suum nomen famosis carminibus proscinderetur, facillimè tulit, fassus, in libera civitate linguam & mentem omnibus liberam esse oportere. Item cùm convitiis à quodam proscinderetur: Si ille, inquit, aliter fuerit locutus, dabo operam, ut omnium quæ aut dixi, aut feci, reddam rationem at si perseveraverit, invicem odero. *Sab. lib.1. En.7.*

Lam-

A *Lampridius* scribit, Poëtam quendam in Alexandrum Severum, quòd quotidie vesceretur leporina, ita lusisse: E

Pulchrum quod vides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit & lepus comesus,
Ex quo continuum capit leporem.

Hos versus quum quidam ex amicis ad Alexandrum detulisset, respondisse fertur in hanc sententiam satis christianè, (nam hoc illi ab inimicis objectum est, quòd Moysen & Christum quendam haberet in larario)

Pulchrum quòd putas esse vestrum regem,
Vulgari miserande de fabella,
Si verum putas esse, neu irascor:
Tantum tu comedas velim lepusculos,
Vt fias animi malis repulsis,
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Erasm. in Adagiis.

Reprehensionem.

Agamemnon Achillem, qui modica uti in monendo libertate videbatur, non fert: Ulyssi acerbè castiganti, dicentique

B *Perdite tu ò si esses aliarum dux legionum:*

Cedit, & continet se, salutari & prudenti oratione repressus. Hic enim nullius prætextu propriæ iræ egit cum eo de salute Græciæ liberè: illum fremere potissimùm sui causa apparebat. *Plut. de Discer. Adul.*

Achilles, quamvis ingenii non lenis neque placidi animi, sed ardentis, qui accusare sustineret etiam insontem, tacitus tulit hujuscemodi multa sibi exprobrantem Patroclum:

Non, truculente, parens Peleus tibi Martius heros,
Nec Thetis est genitrix, sed glaucum te edidit æquor,
Æreæque petræ, quando est animus tibi savus.

Plut. de Discer. adul.

Cùm quandam ex suis comœdiis Antiphanes Comicus Alexandro Regi legeret, isque videretur fabulam planè non percipere: Oportet, inquit, ò Rex, sæpiùs ex symbolis cœnasse eum qui hæc sit percepturus, ac sæpiùs ab amico plagas & accepisse & dedisse. *Athenæus lib.13.c.1.*

Redargutionem.

Corripiebatur Eques Romanus à Cæs. Augusto censore, tanquam minusset facultates suas. At ille se multiplicasse coram probavit. Mox eidem objecit, quòd ad contrahendum matrimonium legibus non paruisset. Ille uxorem sibi, & tres liberos esse dixit. Tunc adjecit: Posthac Cæsar, cùm de honestis hominibus inquiris, honestis mandato. *Macrob. lib.2.c.4. Satur.* Testem se in judiciis & interrogari & refelli, æquissimo animo patiebatur. *Sveton.* G

Errorem.

Rex Alexander, Darii castris, in quibus omnes necessarii ejus erant, potitus, Ephæstione gratissimo sibi latus suum tegente, ad eos alloquendos venit. Cujus adventu mater Darii recreata, humi prostratum caput erexit: Ephæstionemque, quia ei & statura & forma præstabat, more Persarum adulata, tanquam Alexandrum salutavit. Admonita deinde erroris, per summam trepidationem excusationis verba quærebat. Cui Alexander: Nihil est (inquit) quòd hoc nomine confundaris, mater: nam & hic Alexander est. *Val. Max. lib.4. cap.7. & Plut. in Alexandro.*

Ingluviem.

D. Ansgarius Hamburgensis Archiepiscopus, Aquilonarium regnorum primus Apostolus, Ericum rerum in Dania potitum, ex persecutore Christianorum, fidelem fecit: tan- H
D tumque familiaritatis apud regem contraxit, ut inter amicos ascriptus, intimis regni consiliis adhiberetur. Sed onerosum fuit Sancto, comessationibus diuturnis pro more gentis interesse: coegitque se hoc etiam (ut cætera peregrinationis incommoda) sustinere, ne regem & proceres, contemptum interpretantes, si abesset, à se alienaret. *Crantz. lib.1. Metropoleos, c.37.*

Petulantiam.

Ad Anytum Anthemionis filium Alcibiades sui amantem, qui hospites accipiebat lauto & splendido convivio, comessabundus accedens, rapta ex mensa dimidia poculorum parte discessit. Stomachantibus hospitibus & dicentibus, Petulanter & superbè tecum is adolescens egit: Imò benignè, inquit Anytus; cui licebat capere omnia, nunc tam multa mihi reliquit. *Plut. in Amatorio, & Alcibiade.*

Rudolfi I. Imp. jam senis, secunda uxor Agnes fuit juvencula, filia Ducis Burgundiæ, neptis Regis Franciæ, ex qua nullam prolem genuit. Hanc, cùm esset venustissima, Fridericus Comes de Leiningen, Antistes Spirensis, è carpento tollens, cùm reluctantem oscularetur, regi id conquesta, bilem illi movit mediocrem, cum etiam ipse sæpè principum uxores oscularetur. Attamen ut reginæ satisfaceret, nobilem quendam præsuli dicere jussit, ut aliud sibi Pacificale quæreret deosculandum: id soli sibi emptum. Episcopus regis iram metuens, patriam reliquit, & usque ad mortem regis in exilio latuit. *Cusp.*

Incivilitatem.

Cùm Iliensium legati ad Tiberium Cæsarem consolandum in morte filii aliquantò serius venissent, mandatis expositis, respondit: Et se illorum vicem dolere, quòd egregium civem Hectorem amisissent: tarditatem illorum tacitè reprehendens. *Sveton.*

Cùm Apollonium, quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, M. Antoninus Pius Imp. vocasset, ut ei M. Antoninum traderet; atque ille dixisset: Non magister ad discipulum debet venire, sed discipulus ad magistrum: risit eum, dicens, Facilius fuit Apollonio à Chalcide Romam venire, quàm à domo sua in palatium? Ejus avaritiam etiam mercedibus notavit. *Capitolinus.*

HUMANITATIS EXERCITATIO RESPECTU ALIORUM. Vel ABSQUE CERTAMINE.

F

Quatenus aliorum

POPULARITATEM AMAT, FOVET, remunerat,

☞ *Vide infrà Popularitatis fructus.*

RUSTICITATEM ODIT, AVERSATUR, Punit,

Hiero Siculus, arcana qui enunciarent, hos injuriam arbitrabatur inferre etiam illis, quibus ea proderent. *Plut. in Apoph.*

CUM CERTAMINE. POPULARITATIS CERTAMINA.

☞ *Vide Tit. Libervalitatis certamina erga Hospites.*

B. Antonius Monachus ad Paulum Thebæum eremitam venerat. Dum inter se colloquuntur, suspiciunt corvum in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subvolans, integrum panem ante ora mirantium deposuit. Post cujus abscessum: Eja (inquit Paulus) Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta jam anni sunt, quòd accipio dimidii semper panis fragmentum; verùm ad adventum G
tuum, militibus suis duplicavit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei marginem fontis uterque consedit. Hic verò quis frangeret panem obortà contentio, penè diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitii, Antonius jure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit, ut apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libaverunt, & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegere vigiliis. *Hieron. in vita Pauli eremitæ.*

Traditum memoriæ est, quum inter Megarenses & Corinthios de Imperio certaretur, captivos in bello tam leniter habuisse, ut illos velut hospites invicem tractarent, & sine pretio dimissos, doryxenos appellarent. Milites sanè cum hostibus extra aciem familiaria jura servabant, in acie propugnabant vehementissimè. *Alex. lib.4.c.10.*

Alexand. Magnus sagitta ictus, sella vehebatur. ☞ *Pete ex Tit. seq. §. Societatis erga reges.*

Celtiberi, advenientes externos benignè hospitio recipiunt: adeò ut æmulatione quadam invicem pro illorum ho- H
nore certent. Quos advenæ sequuntur, hos laudant, amicosque Deorum putant. *Diod. lib.5.c.9.*

Albertus Crantzius in principio suarum historiarum inquit: Quamvis omnes Hyperboreæ gentes hospitalitate sunt insignes, præcipui tamen sunt Sveones: quibus est omni probro gravius, hospitium negare transeuntibus; ita ut fit certamen, quis advenam hospitio excipiat.

Alphonsus Aragonius incredibili erga hostes clementia fuit. Eaque propter ab immortali Deo assecutus fuit, ut pari insignes bonitate hostes haberet; neque superbum victorem subiret, qui se tam humanè gerebat. Apud Gajetam navali prælio victus, in Philippi Mariæ Mediolanensis Ducis potestatem venit, neque ut captivus ab eo habitus est, sed festis ludis, conviviisque honoratus, sine pretio dimissus est, qui se ingenti auri pondere libenter redemisset. *Fulg. lib.5.c.1.*

HUMA-

A HUMANITAS, POPULARITAS ERGA HOMINES CONSIDERATOS RESPECTU ANIMI HABITUS. UT ERGA

PIOS.

☞ *Hæc ipsa Justitiæ religiosæ famulatur. Inde ergo petantur exempla.*

Mulieres ministraverunt Domino prædicanti, & per castella & civitates eunti. *Luc.8.* Eædem astiterunt in crucem sublato, ab Apostolis derelicto. *Luc.23. Ioan.19.*

Grassabatur Jezabelis ira in prophetas, & jam plus nimio illa temporum diritas per innocentium evagabatur capita: cum in tanto metu unus extitit, qui innocentiam occultè, quando aperta vi non poterat, tueretur. Abdias vir justus, neque impensa gravatus, neque Jezabelis iram veritus, centum latitantes prophetas insigni charitate protexit, & aluit. *Sab. lib.5. c.2.*

Cùm regnaret Sennacherib, & filios Israel exosos haberet: Tobias pergebat quotidie per omnem cognationem suam, & consolabatur eos: esurientes alebat, nudis vestimenta præbebat, mortuis atque occisis sepulturam solicitus conferebat.

B *Tob.1.*

IMPIOS.

Lugebat propheta Samuel Saul Regem Judæorum, licèt sciret eum à Deo rejectum. *Ex 1. Reg.15.*

Daniel cum sociis precibus ad Deum fusis, somnii quod Nabuchodonosor viderat, & oblitus fuerat, revelationem habuit. Eoque ipso sapientes omnes Chaldæos, quos rex occidere volebat propter ignorantiam, servavit. *Dan.2.*

HÆRETICOS.

D. Augustinum rhetoricæ docendæ causa Mediolanum evocatum suscepit D. Ambrosius paternè admodum, & peregrinationem ejus satis Episcopaliter dilexit. Ille eum amare cœpit, primò quidem non tanquam Doctorem veri (ipse enim Manichæus erat) sed tanquam hominem benignum in se. Et studiosè audiebat disputantem in populo, quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ suæ, an major minorve profluereret, quàm prædicabatur: & verbis ejus suspendebatur intentus, rerum autem incuriosus & contemptor astabat, & delectabatur suavitate sermonis, quanquam eruditioris, minùs tamen hilarescentis atque mulcentis, quàm Fausti Manichæi,

C quantùm ad dicendi modum. His initiis paulatim unà cum verbis etiam rerum cognitionem, licèt præter suum institutum adeptus est Augustinus, ut relicta impia secta Catholicus fieret. Testis ipsemet *lib.5. Confess. c.13.*

D. Augustinus, Episcop. Hipponensis, in refutandis hæreticis nimiam ubique cavit acerbitatem. Testis ipsemet *lib. 3. c.1. contra literas Petiliani.*

Novum insaniæ genus excogitarant Donatistæ hæretici, violentam mortem martyrium nominantes. Qui hanc appellationem assequi volunt, id longo ante tempore, iis qui idem sectum sentiunt, significant. Illi autem eos omni genere officii observant, eisque inserviunt, & omne ciborum genus afferunt, veluti quædam sacrificio destinata animalia pinguefacientes. Cùm aliquandiù in his deliciis vixerint, cogunt obvios quosque lethalia sibi vulnera afferre. Id si non assequantur, debacchantes, se ex alto præcipitant. Cùm permulti ex iis, instar phasianorum adipati, in generosum quendam Juvenem incidissent, deinde nudum ensem ei porrexissent, jusserunt ut eis afferret vulnera: & se eum interfecturum minati sunt, nisi imperata faceret. Is cùm diceret, se vereri, ne aliquibus occi-

D sis, qui superessent, pœnitentia ducti, pœnam cædis ab eo exigerent, & propterea non nisi ligatis sese vim illaturum: illi sibi vincula injici passi sunt. Tum ille, virgis egregiè cæsos, vinctos spectatoribus deridendos relinquens, abiit. *Theodoret. in fabulis hæreticorum.*

IMPROBOS.

Antisthenes philosophus opprobranti, quòd interdùm cum improbis haberet consuetudinem: Et medici, inquit, cùm ægrotis versantur: nec tamen ægrotant ipsi. Sentiens, philosophum ideò versari cum improbis, ut eos reddat meliores. *Laert. lib.6. c.1.* Idem Romulo tribuit *Maximus serm.6.*

Demosthenes, quum sibi probro daretur, quòd improborum uteretur contubernio: Optimus, inquit, is est medicus, qui sanos relinquit, & benè habentes: ægrotos & penitùs deploratos suscipit curandos. *Sab. & Max. serm.6.*

ÆTATIS. ERGA E

PUEROS.

Pharao rex, crudeli edicto pueros Hebræorum omnes cum primùm editi essent, ab obstetriciibus necari jusserat. Cæterùm timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti: sed conservarunt mares, regis sævitiam ludentes. *Exod.1.*

Cernens Thermuthis filia Pharaonis vagientem puerum Hebræum, in cista viminea expositum in Nilo, ait: De infantibus Hebræorum est hic: & mox sublatum in filium adoptavit. *Exod.2.*

Thebanorum hæc lex rectissimè & honestissimè posita est: Ne civi Thebano liceat infantem exponere, neque in solitudinem abjicere, capitis supplicio. Verùm si in extrema mendicitate pater sit constitutus, sive mas sit, sive fœmina infans, cogitur eum statim à materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis adferre. Qui acceptum alicui tradit levi pretio, cum quo pactum & conditiones intercedunt, ut infantem alat, & adultum servi vel servæ loco habeat, sic ut alimentum & educa- F

B tio servitute compensentur. *Ælian. lib.2. de Var. hist.*

Principum Corcyræorum liberos Periander Corinthiorum tyrannus trecentos, ut castrarentur, ad Alyatten Lydorum regem miserat. Eos, postquàm in insula descenderunt, docuerunt Samii, ut in Dianæ delubro supplices considerent, quibus esculenta ex sesamo & melle dederunt: qua ratione hos servaverunt. Et Samiorum quidem Corcyræi hac de causa non magnam rationem habent: Gnidiorum memoriam conservant, quibus sunt apud ipsos honores, immunitates, & decreta. Hi namque infesta classe illuc profecti, Periandri custodes templo summoverunt, acceperuntque pueros, quos Corcyram deportaverunt: ut est *Antenor Creticus* auctor, *& Dionys. Chalcidensis in libris de Conditis urbibus. Plut. de Herod. malig.*

SENES.

Pyrrhias Ithacensis portitor erga senem, à piratis captum, humanus, locupletatur. ☞ *Vide infr. Erga Captivos.*

SEXUS. ERGA G

MULIERES.

☞ *Vide Tit. Erga Hostium uxores clementer, illic Inimicitiæ, hic Sexus ratio habetur.*

VALETUDINIS. ERGA

ÆGROS.

☞ *Confule Tit. Opera gratuita ægris impensa, illic Liberalitas, hic Humanitas perpenditur. Item Titul. Medicorum, quatenus ægros blandè tractant.*

Joas Israelitarum Rex, Elisæum Prophetam ægrum visitavit. *4. Reg.c.13.*

Charitatis nomine laudatur Samaritanus, qui à latronibus cæsum fovit, ejus vulnera obligavit, infundens oleum & vinum. Et si autem mysterium hic latet majus, nihil tamen prohibet, rem gestam parabolæ loco fuisse à Christo adductam. *Luc.10.*

Alexander Macedo, per Cabazam regionem ducens, senio jam confectum militem Macedonem nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi & propinqua igni sede confidens, animadvertit: factaque non fortunæ, sed ætatis utriusque æstimatione, descendit: & illis manibus, quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore duplicatum in suam sedem imposuit: id H ei salutare futurum ducens, quod apud Persas capitale extitisset, solium regium occupasse. Quid ergo mirum est, si sub eo duce tot annis militare jucundum ducebant, cui gregarii militis incolumitas proprio fastigio charior erat? *Val. lib.5. c.1. & Front. lib.4. c.6.*

Pyrrhus Epirotarum Rex, lienosis existimabatur opitulari, cùm gallum gallinaceum album immolans, supinis jacentibus lienem pede dextro premeret leniter. Neque erat adeò pauper quisquam aut abjectus, cui petendi denegaret curationem. Peracto sacrificio gallum accipiebat, eratque hoc præmii ei gratissimum. Illius pedis fertur pollex fuisse divina virtute præditus: ac cremato post fata ejus reliquo corpore, repertus inviolatus est & intactus ab igne. *Plut. in Pyrrho, & Plin. lib.7. c.2.*

C. Jul. Cæsar amicos tanta semper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio comitanti se per sylvestre iter, correptoque subita valetudine, & in diversorio loco, quod unum erat cesserit, ac ipse humi, & quidem sub dio accubuerit. *Svet.*

Cn.

A Cn. Pompejus Magnus, cùm post bellum cum piratis gestum in Asia non tantùm Mithridatem Armeniæ Regem potentissimum vicisset, sed fugasset etiam penitùs: urbem Nicopolim in eo agro, in quo victoriam peperit, ædificavit: in eaque saucios milites, & eos qui jam per ætatem bellum gerere non poterant, habitare jussit. *Dion. Niceus, & Xiphilinus.*

M. Antonius milites in expeditione Parthica insidiis circumventos & vulneratos consolatus est, circumveniens eos, lacrymarum plenus & dolore percitus. *Plut. in Anton.*

Tyberius Cæs. Rhodii modicis contentus ædibus, nec multò laxiore suburbano, genus vitæ civile admodùm instituit, sine lictore, aut viatore, gymnasio interdum obambulans, mutuaque cum Græculis officia usurpans, propè ex æquo. Fortè quondam in disponendo die, manè prædixerat, quicquid ægrorum in civitate esset, visitare se velle. Id à proximis aliter exceptum est: justique sunt omnes ægri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera disponi. Perculsus ergo inopinata re, diu quid ageret incertus, tamen singulos circuit: excusans factum etiam tenuissimo cuique, & B ignoto. *Sveton.*

Trajanus cum Decebalo Dacorum Rege in Tapis prælio congressus, Barbaros ingenti clade afflixit. Nec incruenta Romanis obtigit victoria. Sed quum multi vulnerati essent, fasciæque ad obligandas plagas desiderarentur, pro sauciorum copia vestem sibi Trajanus conscidit in eum usum, eamque militibus benignè partitus est: iis qui in acie occubuerant, aram constituit, & annuas inferias. *Sab. lib.4. Ennead.7.* Idem solebat ægrotantes amicos visere, deposita imperatoria majestate. *Ausonius.*

Adrianus Imp. ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Romanos ac libertinos visitavit, solatiis refovit, & consiliis sublevavit, instar privati hominis. *Cusp.*

Alexander Severus Imp. milites morbo afflictos visitabat. *Cusp. ex Lamprid.*

Gratianus Imp. in amicorum officiis sedulus, liberalis, & adeò comis, ut ægros sæpè inviseret, medelis consolatos foveret, fomentis sanaret, & sumptibus aleret. *Cusp.*

Placilla, Theodosii Romanorum Imp. uxor pientissima, cum reprehenderetur à suis, quòd ægrotos visitaret, atque C pauperibus etiam liberaliter facultates suas elargiretur: respondit, Imperatrici largitionem, sibi manuum opus pro Imperii adepti gratiarum actione convenire. *Nicephor. Callistus lib. 12. c.42.*

S. Germanus, quum in Italiam contenderet, Alpesque superaret, senem claudum, quem torrentem transire non posse prospexerat, propriis humeris trajecit. *Bonfin. lib.4. Dec.1.*

Martyrius Monachus in Lycaonio sub Tyberio, ex suo monasterio visitationis gratia ad aliud exspaciatus, invenit inter eundum leprosum quendam, quem densis vulneribus elephantinus morbus per membra fœdaverat. Eum ex commiseratione humeris levavit, ac secum tulit. Cùm ad monasterium venisset, spiritualis pater ejus monasterii magna voce clamare cœpit: Aperite portas, quia frater Martyrius venit Dominum secum portans. Inde statim leprosus ille de collo ejus desiliens, in specie ea apparuit, qua recognosci solet ab hominibus redemptor generis humani Christus: & paulò post ad cœlum Martyrio aspiciente sublatus est, subinde reclamans: Quoniam non erubuisti, Martyri, me ferre in terris, ego D non erubescam te gestare ad cœlos. *Gregor. super Evang. homil.39. ex Epiph. diac.*

Conciliavit sibi Galenus Pergamenus medicus maximè plebis & tenuioris fortunæ hominum animos, quòd medicamentis simplicibus vulgaribusque, & paratu facilibus, plurimùm utens, & recta victus ratione sine pharmacis, ubi id fieri poterat, curans, eorum quos suscipiebat facultates minimè opprimeret. Quin etiam ut meliori fide ac sumptu minore medicamenta haberet composita, suis manibus plerumque confecta, officiosissimè ægris administrabat: in egenos interim non exiguam suarum facultatum portionem erogans, artemque ipsam non avaritia ductus, aut quapiam cupiditate, sed propter solam virtutem piè simul & religiosè exercens. Ægros moribus placidissimis ita exhilarabat, ut solo sermone eos videretur restituere. *Gesnerus in ejus vita.*

Balduinus I. Hierosolym. Rex, Phylarchi Arabis uxorem gravidam, quam secum in Arabica expeditione in præda captivam adduxerat, cùm eam partus dolores in via obtrusissent, benignissimè tractavit. Etenim recurrens, deponi eam, ex spo-

liisque hostium substerni vestimenta jussit, amiculoque suo il- E lam operuit, abiitque, remanere cum domina servo jusso, ac quadam ex captivatum grege, quæ obstetricis munere fungeretur: simul camelo fœta ad infantem eo lacte alendum relicta, aquaque in utre, ac fructibus in sportula aegrestibus ad puerperam sustentandam, reliquum iter confecit. *Æmil. lib.5.*

Alphonsus, Osnaburgensis Episcopus, quoties iter faciebat in Varstenovv, itinere medio casulam leprosi subiens invisebat, & invitabat ad patientiam, proposita ei in exemplum Christi passione: simul etiam eleemosynam relinquens. Pertæsi ministri moræ, effecere, ut transituro per viam Episcopo, ille subduceretur. Intravit de more Episcopus: & quem illi dudum transtulisse videbantur, ne ibi tempus perderet Episcopus, videt ille ante se in loco sedere consueto. Cui quum solita monita repetiisset Adolphus, in gratias solvitur leprosus, dicens, se doctrinis ejus plurimùm profecisse: & videntibus cunctis qui aderant, spiritum efflavit, dabatque signa sanctitatis, cunctis admirantibus, & de sua fraude quam commiserant dolentibus. Adeò testatæ autem sanctitatis moriens Episcopus fuit, ut qui lapidem sepulturæ ejus transiens inhonoro pe- F de tangeret, eo die singularem ignominiam incurreret. *Crantzius lib.7. Metrop. c.19.*

Eo bello sacro, quo Frider. I. Imp. in Armenia periit, quum multi per æstum insuetum ex peregrinis languerent, & acceptis in prælio vulneribus deficerent, primi cives Lubecenses & Bremenses, productis velis de navibus suis, fixere papiliones, sub quas ægrorum multitudinem comportarunt, pietatis studio illis obsequentes. Viderunt piam illorum operam Principes, Fridericus Sveviæ Dux, & Imperialis Cancellarius Conradus: & collata in usus egentium grandi pecunia, pietatis exemplo etiam ipsi inclaruerunt; & quoniam forti in armis operæ nullus erat usus, ad pietatem intenderunt studia: processitque res usque adeò, ut primùm ejus rei firmitatem quandam statuerent sub titulo Mariæ Virginis: quam multi etiam militares subierunt. Inde militaris ille ordo provenit, qui dicitur Teutonicorum: quem deinde aliquot intercedentibus annis, Frider. II. Imp. obtinuit à summo Pontifice confirmari. Lubecenses & Bremenses, quia primi fuere, qui fundamenta ordinis jecere, inter militares assumuntur in ordinem: quum alios plebejos non admittant, nisi in chorum psallen- G tium. *Crantzius lib.6. Vandal. c.28.*

Paulus II. Pontifex, adhuc Cardinalis, tantæ humanitatis fuit, ut in ægritudinibus curiales ipsos, qui aliquo in pretio erant, inviseret, & quibusdam remediis adhibitis, eos ad valetudinem adhortaretur. Semper enim domi habebat unguenta Venetiis avecta, oleum, theriacam, & cætera id genus, quæ ad curandam valetudinem faciunt. Et his aliquid ad ægrotos mittebat. *Platina.*

Mos erat Alphonso Aragonio Siculorum Regi, quocumque in loco S. Eucharistiam deferri perspexisset, relicto equo quo ferebatur, pedibus eam prosequi in locum quò perferebatur. Cum hoc peragit, contigit semel in vetulæ domum ingredi, sanguinis fluxu laborantis. Cùm autem certior factus esset, ejusmodi morbo plurimùm jaspidem conferre, misit statim, qui unum quem habebat perferret; ipseque mulieris manui eum inferuit. Brevi autem liberata anus, cùm post aliquod tempus ad Alphonsum venisset, gratias pro accepto beneficio actura: excusavit se, quòd jaspidem non retulisset, ne ei daretur vitio, quia sinistro casu eum amiserat. Cùm autem qui adstabant, graviter eam increpassent, subridens Alphonsus: H Mater, inquit, mea, qui valetudinis suæ nullam rationem habent, mirantur, si tu, ut valere possis, jaspidem retinuisti. O humanitatem insignem, regem clarissimum cum vetula tam humanè urbanèque se gerere. *Fulg. lib.5. c.1.*

Idem cùm apud Juliani templum juxta Neapolim, militem graviter in prælio vulneratum vidisset, suo sudario vulnus ejus obligavit. Cùm verò nullam spem vitæ præsentis haberet, ad beatam & immortalem hortatus est: mortuumque sepeliri diligentissimè curavit. *Panor. lib.3. de Alphonsi reb. gestis.*

Mathias Corvinus, Hung. Rex, in castris militum ægrotorum contubernia lustravit, cibum porrexit, consolatus est, vulnera obligavit. *Bonfin. lib.7. Dec.4.*

Carolus Navarræ Princeps, Joan. Alphonsi filius, etiam infimis & sordidis homuncionibus opem ferre non recusabat, cùm ipse morbi cujusdam abdita medicamenta teneret: etiam tunc cùm ob morbum pharmaca sumpsisset, & aeris asperitatem fugere deberet. *Pont. c.6. Benefic.*

M. Anton. Columna tormento graviter vulneratus fuerat,